

*Inter libros*
*Josephi Mariæ Parascandolo*
*Antecessoris Regii*
A. L. N.

# D. GOTTLOB CHRISTIANI STORR

DISSERTATIO EXEGETICA

IN


# LIBRORVM N. T. HISTORICORVM

ALIQVOT LOCA.



TVBINGÆ
APVD BORNIUM
MDCCXC.







## Matth. I. 17.

E consilio, quod Matthæus in genealogia v. 2 ff. proferenda universe secutus videtur (v. über den Zwek der evl. Gesch. Joh. p. 236. f.), subjecti etiam corollarii (v. 17) rationem reddi posse arbitramur. Ut enim *clausulæ*, quam απιςος auctor, cui Jesus non esset ο Χριςος (v. 17. f. 1.), [1] sed (cf. Jo. XIX. 21) ο ΛΕΓΟΜΕΝΟΣ Χριςος (Matth. I. 16. coll. XXVII. 17. 22), genealogiæ imposuerat, *singularis conformatio* docebat, narrationem, quam Matthæus, Josephi procul dubio & Mariæ, propinquorum suorum (l. c. p. 271), auctoritate, I. 18. ff. promit, non nuper demum a christianis, ortum Jesu ab Josepho negantibus, ex-

1) Inscriptionis, a Matthæo præfixæ, sententia hæc esse videtur: „Jesu, quem ego pro Christo, itaque (XXII. 42. Act. II. 30. III. 25) pro stirpe Davidis & Abrahami, habeo, genealogia sequitur, prout in eius familia fertur."

excogitatam, sed dudum in familia Jesu notissimam ipsisque etiam iis familiæ partibus, quæ Jesum non habuissent pro Christo, minime suspectam fuisse: sic *universa* quoque *structura* genealogiæ id ipsum firmabat. Erat illa manifesto tributa in *tres* partes, quas disterminant regiæ dignitatis (v. 5. f.) translatio ad hanc familiam & migratio in Babyloniam (v. 11. f.) *Prima* complectitur XIV. stirpes (γενεας, cf. *Krebsium* ad v. 17), quarum princeps est Abraham (v. 2), postrema David (v. 5). *Altera* totidem stirpes habet, quarum prima *itidem* David (v. 6), decima quarta Josias (v. 10) numeratur (cf. b. *Bengelii* Gnom. ad v. 17. n. II. IV. p. 12. f.). *Eadem lege* Josias, qui secundæ partis extremum locum occupabat (v. 10), *idem etiam tertiæ* initium ordiri putandus est (v. 11). Si principium a Jechonia ducere malis, tertia genealogiæ pars ne proficiscetur quidem *a* tempore migrationis in Babyloniam (v. 17), quod v. 11. cum Josia conjungitur, sed a tempore *post* migrationem in exilium, cum quo Jechonias tanquam Salathielis, *eo demum tempore*, quo pater in exilium *migraverat* (1 Par. III. 17), *nati*, parens Matth. I. 12 connectitur. Neque etiam auctor genealogiæ v. 11. migrationis tempus inepte finivit. Nam migratio in Babyloniam, a qua *Josias ipse vix prohibitus fuit* singulari beneficio (2 Reg. XXII. 16—20), non pertinuit modo ad Jechoniam, nepotem Josiæ (XXIV. 6—16.), sed *mox filius Josiæ*, in cuius locum Jechonias suffectus fuit, in exilium proficisci debuit (XXIII. 34. XXIV. 1—4. 2 Par. XXXVI. 1. 6—8.), ut de altero filio (1 Par. III. 15), Jechoniæ successore (2 Reg. XXIV. 17. ff. XXV.),

XXV.), nihil dicamus. Quod si vero, Matthæi admonitu (I. 17), numerus stirpium a migratione in Babyloniam ad Christum usque subducitur: initio *a Josia* (v. 11) facto, non XIV. (cf. v. 17) de more superiorum genealogiæ partium, sed XV. stirpes prodeunt, nisi, *prætermisso Jesu*, desinamus in Josepho (v. 16), ut igitur Jesus a ceteris γενεαις, quarum *decem & quatuor* singulis genealogiæ partibus continentur, hac quoque nota discernatur, eiusque nomen e genealogia, tametsi v. 16. appellatum fuerit, vere tamen exemtum esse intelligatur, simul ac numerus stirpium tertiæ partis ad genealogiæ, in *tesseradecadas* descriptæ, normam capitur, atque proin genealogia Josephi re ipsa non magis referatur ad Jesum, quam formula: *hic vero genuit sequentem* (v. 2. ff.), in eodem Josepho usurpari desita (v. 16), quo tanquam extrema stirpe terminatur numerus γενεων, βιβλυ γενεσεως cuique parti assignatus. Neque id temere & fortuito accidisse, tum formulæ, constanter alias adhibitæ, consideratissima mutatio in extrema genealogia (v. 16), tum hoc maxime ostendit, quod orientali consuetudine [a] integrum fuit auctori, prætermittere stirpes, quæ numerum constitutum excederent, hocque ipso subsidio, v. 8. adhibito (v. 1 Par. III. 11. f. & 2 Reg. XV. 1—7. coll. 2 Par. XXVI. 1—23), consecutus est, ut secundæ partis stirpes præfinito numero concluderentur. Imo in

a) cf. celeberr. *Michaelis* ad Ruth. IV. 20. ill. *Eichhornii* Einl. ins A. T. P. II. p. 449. P. III. p. 310. Repert. für bibl. und morgenl. Litterat. P. XIII. p. 169.

in ipsa tertia parte stirpium numerus sic initur, ut Josiæ filius idemque pater Jechoniæ (2 Reg. XXIII. 34. XXIV. 6) omittatur.[3] Quidni ergo de sequentibus (Matth. I. 12—15) stirpibus una similiter præteriri potuisset, nisi auctor genealogiæ sic proprie numerum effici voluisset, ut *Josephus*, *non Jesus*, numero *decimus quartus* esset?

IV. 1—11. Inter *visum* vel nocturnum vel similem alium tentamenta (v. 1. Luc. IV. 13) ne locum quidem habitura fuisse, celeb. *Thaddæus* (in libello, Bonnæ 1789. edito: die Versuchungsgeschichte Christi erklärt und von Widersprüchen gerettet p. 40) bene monuit. Neque profecto vel Matthæus (I. 20. 24. II. 12. f. 19. XXVII. 19) vel Lucas (Act. XVI. 9. f. X. 10—17. IX. 10. XVIII. 9. XXII. 17) visionem a rebus vere gestis (cf. XII. 9. 11) narratione sua discernere ignoravit. Sed altera quoque opinio, quam laudatus *Thaddæus* si non disertissime tuetur ceu unice veram (l. c. p. 47), at non obscure præfert (p. 38. 26. 43—46. coll. p. 40), difficultate haud minore affecta est. Quæ enim narran-

3) Certe in majoribus Josephi non ita numeratur, ut, calculo subducto (Matth. I. 17), eius ratio haberi queat. Neque enim v. 11. Josias ipsum, ipse vero Jechoniam genuisse dicitur, quamvis in numero *των αδελφων* Jechoniæ præter successorem *patruum* (2 Reg. XXIV. 17. 1 Par. III. 15. f. cf. perill. *Michaelis* ad. v. 16), qui cognitionis gratia (cf. Gen. XII. 5. XXIX. 10. 13. 14.) nomine *fraterno* (cf. v. 12. 15. XIII. 8) etiam 2 Par. XXXVI. 10. (ebr.) appellatur, haberi quoque possit decessor *parens* Jechoniæ, tanquam calamitatis & exilii (*μετοικεσιας βαβυλωνος* Matth. I. 11) *socius*, cuius res eodem loco fuerunt, atque res Jechoniæ & Sedeciæ. cf. *αδελφοι* Prov. XVIII. 9.

rantur de diabolo (Matth. IV. 3—10), ab iis, quæ de angelis (v. 11) *in veritate* [4] dicuntur, ſi *modum narrandi* ſpectemus, neque dogmaticas rationes ſeu philoſophica decreta [5] ſequamur [6] nulla prorſus nota diſcernuntur. Fac vero, prava *quævis* cogitata, & in ipſo *hiſtorico* dicendi genere, diabolo aſſignari conſueviſſe. Num Satanas propterea dicetur acceſſiſſe ad eum, cuius animo prava cogitata occurrerunt, eumque comitatus & cum eo collocutus fuiſſe (v. 3. 5. 8)? An Satanam, ut hoc exemplo utamur, Luc. XXII. 3. ſ. veniſſe legimus ad Judam, & dixiſſe: prode magiſtrum, quumque Judas reſpondiſſet: prodam, comitem ſe adjunxiſſe itineris ad ſynedrium? Imo nec ve-

---

4) Conſentiunt doctiſſimus *Thaddaeus*, &, quem ſequitur (p. 43), anonymus Auctor (Beytr. zur Beförder. des vern. Denkens in der Religion. Heft. 3. p. 92). Nec facile fuerit, αγγελους προσελθοντας (cf. v. 3) και διακονησαντας αυτω in *bonas cogitationes* vertere, quas præterea Chriſtus non tum demum fovere cœpit (cf. v. 4. 7. 10). Ipſa hæc (v. 11. Marc. I. 13) *diaboli* & *angelorum* disjunctio *hominem*, Chriſto adverſarium, intelligi vetat. O πειραζων haud dubie fuit e numero mentium, quæ ſunt bonorum angelorum contrariæ, neque eo nomine (Matth. IV. 3) propterea appellatur, quod hoc loco & tempore ſollicitaſſet ad peccandum, ſed quod *moris* (cf. Luc. IV. 13. extr.) eius eſſet, ut ſollicitaret (cf. 1 Theſſ. III. 5. cum 1 Cor. VII. 5. add. Marc. VI. 14. coll. Matth. XIV. 2. Obſſ. p. 79. n. II.)

5) v. celeb. *Thaddaeum* p. 38. 46.

6) Quamobrem nos ſequi dubitemus, & in rebus, nulli noſtro ſenſui nullique experientiæ noſtræ ſubjectis, nec vulgaribus nec philoſophicis opinionum commentis fidamus, ſolisque, quoties ſuppetunt, teſtimoniis nitamur, alias expoſuimus (Comm. in ep. ad Hebr. P. II. §. 10.)

veterrimæ memoriæ (cf. Cel. *Thaddæum* p. 44.), quarum modo narrandi ne licet quidem continuo evangeliſtarum, ab ultimo illo tempore tam longe remotorum, cogitandi rationem & dicendi genus metiri, ullum, quod evidens atque indubitatum eſſet, ſumtionis exemplum præbent. Quando enim viciſſitudo & conflictio humanarum cogitationum non apud veterem poëtam, cui poteſtas eſt fingendi, ſed in hiſtorico libro, v. c. Geneſeos, divini cum homine colloquii formam induere perhibetur: nulla profecto interpretationis neceſſitas eſt, niſi philoſophetur interpres, & philoſophus eam proprie familiam ſequatur, quæ, licet quotidie fieri videamus, quæ nos homunculi, ſi Dei loco eſſemus, ex angello noſtro alia norma directuri eſſemus, decrevit tamen, iſtiusmodi colloquia cum hominibus in facto poſita non eſſe, quia ipſi videantur indigna eſſe Deo. Quando Evam (Gen. III. 1—5) [7] & Bileamum (Num. XXII. 28—30) [8] cum

7) Celeb. *Thaddaeus* ipſe quidem hoc loco *verum colloquium* diaboli cum Eva agnoſcit (p. 27. ſ.).

8) ~~Etiamſi cum perill.~~ *Michaelis*, Ven. *Dathio* p. 544. ſ. & celeberr. *Herdero* (vom Geiſt der ebr. Poëſie P. II. p. 237. ſ.) viſionem, *non veritatem*, h. l. narrari putes: nullum certe colloquium *ab hiſtorico* confictum, ſed res ipſa, prout oblata fuerat per viſum, repræſentata eſt. Neque igitur hoc loco uti licebit ad probandam eam conſuetudinem, pro qua cogitationes, per veram occaſionem viſibilem (Gen. III) aut per opinabilem cauſam inviſibilem (Matth. IV) in ipſo hominis animo natæ, ab hiſtorico demum in ſermonem cum materia cogitationum converti dicuntur. Ceterum nos perill. *Herderi* rationibus, quas in epiſtolarum parte prima (p. 26. ſſ.) attulit, non ſeriori pronunciato, obſequi, nuper (in Progr. de protevangelio p. 10) faſſi ſumus.

cum mera cogitationum occaſione colloquentes induci volunt; ſua item conjectura de eo, quod ſapientia & bonitas Dei patiatur, non grammatica ratione, ducuntur, & ne ſic quidem locis allatis cum noſtro, ex ea, quam impugnamus, ſententia intellecto, exquiſita ſimilitudo foret. Neque enim Chriſtus, quemadmodum Eva & Bileam, cum *vera & externa* cogitatorum *occaſione*, ſive cum lapidibus (Matth. IV. 3), editove loco ſubjectis regionibus (v. 6. 8), a quibus ad cogitationes minus rectas deductus fuiſſe perhibetur, ſed cum *interno & opinato* cogitationum *auctore* collocutus inducitur. Sumamus autem, Satanae alloquia (v. 3. 6. 9) ſignificare poſſe cupiditates [9], in ipſo Chriſti animo exortas, quas vero ſtatim fregerit (v. 4. 7. 10). Quid igitur, hoc poſito, ſibi volunt comma quintum & octavum? Jeſusne *ambitioſa cupiditate* Hieroſolyma & in montem deductus fuerit? Siccine ergo cogitationem, illico [10] improbandam, coërcuerit, ut ejus certe gratia itineri ſe committeret, & propoſitum vitioſum, quale in utraque profectione, e ſolitudine in urbem & ex urbe in ſolitudinem, tenuiſſet, hactenus certe perageret, ut locum editum, ubi tandem ſe revocaturus eſſet, conſcenderet tamen? Hoccine dignum fuerit ſanctiſſimo (2 Cor. V, 21. Ebr. IV. 15. VII. 26. 1 Jo. III. 5. Luc. I. 35) Jeſu? Sin *alio* & meliore conſilio in edita templi montisque aſcendit, ibique datus proſpectus demum [11] injecit cupiditatem, mox cohibitam; nihil

9) v. cel. *Thaddaeum* p. 41. ſs. & Anonymum citatum p. 90. ſ. 99. ſ.
10) l. c. p. 90. ſ. 100.
11) v. l. c. p. 90. ſ. cel. *Thaddaeum* p. 42.

hil igitur *Satanas* (h. e. [12] *vitium*, perſona indutum) ad *ipſam profeſſionem* pertinebat; ſed ita potius ſcribendum fuerat, Jeſum *divini Spiritus* impulſu [13] veniſſe (cf. Matth. IV. 1. Marc. I. 12. Luc. IV. 1) in editam templi Hieroſolymitani partem atque in montem excelſum (v. 9. 5), ubi acceſſerit ad eum *diabolus*, eique dixerit (cf. Matth. IV. 3. Luc. IV. 3), quæ v. 9. 6. Matth. IV. 6. 9. leguntur. Maneat ergo, Jeſum *vere* tentatum fuiſſe *a Satana*, idque, ut *Grotii* verbis (ad Luc. IV. 2) utamur, *multis modis, quorum præcipui* tantum v. 3—12. *referantur*. Neque enim triplice illo congreſſu *ſub finem XL dierum* (v. 2), omnis tentatio (v. 13) abſoluta fuiſſe, ſed diabolus poſt repetitos conatus, *intra* dies XL. (v. 2) compreſſos a Jeſu, ad extremum denuo acceſſiſſe (Matth. IV. 3) videtur hoc ipſo conſilio, quod antea multipliciter, quumque unum conatum a Chriſto refutatum ſenſit, intercapedine facta, novo tentationis genere perſecutus fuerat. Damus quidem facile [14], verba Lucæ (IV. 1. 2) ad hunc modum poſſe transferri: „Jeſus *in* XL. dies, impulſu Spiritus ducebatur in ſolitudinem, *tentandus* [15] a diabolo.

12) l. c. p. 44. f.

13) l. c. p. 10.

14) Recte quidem b. *Frommannus* (Opuſc. p. 392. f.) monuit, *Graecos* non ita loqui; ſed *hebraizantium* ſcriptorum, ipſiusque Lucæ ſimiles dicendi formulas b. *Bengelius* ad ημερας τεσσαρακοντα Luc. IV. 2. attulit.

15) cf. in Jac. III. 6. not. 106. Similiter Ap. XXI. 8. εβδελυγμενοι ſunt *deteſtandi* peccatores, quorum mox varia genera nominantur. & Matth. XXIII. 27. ταφοι κεκονιαμενοι ſunt ſepulcra calce *ſignanda*, quæ, cum dealbata aut, ſicubi fuiſſet abluta calx, inſtaurata nondum eſſent, (cf.

bolo." Quodsi vero Jesus hoc consilio, *ut Satanae tentationi expositus esset* (cf. quoque Matth. IV. 1), in deserta compulsus est secedere, at tentatio Satanae orta demum est, *finito* XL dierum spatio (Luc. IV. 2. ss); nulla caussa intelligitur, quamobrem *illius consilii gratia* divino jussu (v. 1) debuerit *in quadraginta dies* secedere, atque tempus tam longum, quamvis omni intervallo nihil tentationis motum iri Deus praevidisset, in desertissima (Marc. I. 13) solitudine degere. Usitatam igitur structuram tenentes Lucam (IV. 2) sic intelligimus, ut Jesus a diabolo *per XL dies* fuerit tentatus. Consentit Marcus (I. 13), praesertim [16] ex lectione, Ven. *Griesbachio* probata. Neque hic eventus tam incredibilis videbitur, si cum antiquiore alio (Gen. III. 1—5) conferatur, in quo *diabolicam* tentationem ipse etiam cel. *Thaddaeus* (p. 27. s.) agnoscit, nobis autem h. l. sumere liceat. (conf. Progr. cit. p. 7. ss). Quamquam enim salutifera Christi obedientia in continentem (Marc. I. 12) baptismo (v. 9—11) historiam (v. 13) concludenda nobis [17] minime videtur (Comm. in ep. ad Hebr.

(cf. *Lightfootum* in l. c.), ambulantes a *mundo* solo discernere & fugere non possent, uno verbo, sepulcra *αδηλα* (Luc. XI. 44).

16) Receptam lectionem hoc sibi velle: „tentabatur (*ην πειραζομενος*, cf. v. 22. 39. Luc. I. 10. 22) ibi in solitudine *per* XL. dies", neque interpretandam esse in alteram sententiam: „ibi in desertis per XL dies versabatur, *tentandus* a Satana," ratio supra (ad Luc. IV. 1. s.) allata persuadet. Sin autem verba: *εκει εν τη ερημω*, quorum utramque partem cod. Vercellensis, alii certe alterutram partem omittunt, pro glossemate habeamus; ne grammatica quidem ratio aliam versionem patitur nisi hanc: per XL dies tentabatur a Satana.

17) cf. secus statuentem perill. *Michaelis* (Dogm. §. 138. ed. 2).

Hebr. p. 664. f. 669. 639), & ipſe etiam Lucas IV. 13. extr. ſignificat, hoc quidem tempore Jeſum non defunctum fuiſſe niſi *parte* aliqua tentationum diaboli, qui, cum tempus aliquod interceſſiſſet, obedientiæ Chriſti pericula alio, eoque graviore, modo per inſtrumenta ſua fecit (Joh. XIII. 2. 27. XIV. 30. f. VIII, 38—44. Luc. XXII. 3 53): conſentaneum certe videtur, obedientiam eam, qua Jeſus mereri debebat (l. c. p. 589. ſs. 666 ſs) poteſtatem, ſuæ beatitatis ipſam quoque *progeniem Evæ* (cf. Progr. cit. p. 16 ſs) participem reddendi, *ſimiliter, ac Evæ obedientiam, itaque a diabolo*, ſed multo exquiſitius, h. e. *blande* quidem etiam (cf. Matth. IV. 3. 6. 8. cum Gen. III. 1. 4. f.), adhæc[18] autem violenter quoque (Jo. XIV. 30. f.) tentatam fuiſſe, quo magis inter omnes ad legis divinæ honorem[19] conſtaret, exploratiſſimam & præmio propoſito digniſſimam eſſe hominis Jeſu obedientiam. Quin ipſe etiam Satanas ejusque ſocii angeli, non obſtante veritatis & hominum capitali odio (Jo. VIII. 44), reſiſtere nequeunt, quin perſentiſcant interdum, obedientiæ Jeſu, quam ipſi cominus adſpexerint (Matth. IV. 4. 7. 10. Jo. XIV. 30. coll. Phil. II. 8. Ebr. V. 8), juſtiſſime[20] perſolutum eſſe hoc præmium, ut ſalutis copiam facere liceret iis (v. 9. II. 10. 15), quibus perniciei duces ipſi eſſe geſtirent (v. 14[21]). Mox certe poſt pri-

18) cf. Comm. cit. p. 599. f.
19) l. c. p. 593. ſs. 599—613.
20) l. c. p. 605. f. 666. ſs. 613.
21) Progr. cit. p. 23.

primam, quam Jesus Matth. IV. 4. 7. 10. ſ. Luc. IV. 13. ex Satana tulerat; victoriam, dæmoniacorum ſanatione ſtatim conſpicuam (XI. 20.—22. [22] Matth. XII. 28. ſ. Marc. III. 27), nedum poſt abſolutam & conſummatam (Joh. XVI. 11. XII. 31. Ebr. II. 14. Col. II. 15) victoriam, haud raro fuit, ut ſenſum præſtantiæ Jeſu reprimere & infitiari non poſſent (Luc. IV. 34. 41. Marc. III. 11).

C. V—VII. Cum Matthæo certum eſſet, [23] doctrinæ Jeſu (IV. 17. 23) ſpecimen hoc loco prodere; talem orationem aptiſſime protulit in medium, quæ vim regni divini, mentisque (μετανοιας v. 17) ad eam conſequendam neceſſariæ formam copioſius & expreſſius declararet. Quod ad *regnum divinum* attinet, huic quidem nomini (v. 17. 23) longe alia, ac Judæi informare conſueverant, [24] notio ſubjicitur, dum beatitas eorum, ad quos regnum divinum pertineat (V. 3. 10. [25]), ita deſcri-

22) Sumitur, eo tempore, quo Jeſus dæmonia ejecit v. 20, *jam devictum* ab eo *fuiſſe* Satanam (v. 22), cui alias non poſſent eripi ſua (v. 21. Matth. XII. 29), i. e. (v. 28. 22) homines, quos in poteſtate haberet (Act. X. 38. V. 16). Atqui *praeceſſerat* ea ipſa victoria, quam in *ſomnium* vel victoriam, a Jeſu *ex ſe ipſo* relatam, converti non poſſe, adhuc vidimus.

23) v. über den Zwek Joh. p. 301.

24) v. Diſſ de notione regni cœleſtis §. II.

25) Utraque ſententia, h. e. prima & ultima, (quæ enim v. 11. 12. leguntur, ſuperioris commatis ſententiam, quam ultimam numeravimus, perſequuntur tantum & explicant,) hanc ipſam formulam: *regni divini*, cuius vim interjecti verſiculi æquipollentibus aliis formulis declarant, eo conſilio retinuit, ut appareret, de *regni divini* beatitudine ſermonem eſſe.

ſcribitur, ut conjunctionem & ſimilitudinem cum Deo ſperare liceat (v. 8. ſ.), quæ ipſa quidem (cf. Ap. XXII. 4. VII. 15. cum v. 16. ſ. & XXI. 7) dicat immunitatem mali & voluptatem inſignem (Matth. V. 4. 12. Coll. Luc. XVI. 25), ſed quæ *præſentem* triſtitiam non tollat (Matth. V. 4. 10. ſ.), & (cf. v. 45. 48. VI. 33. 1 Joh. III. 2. ſ. Ebr. XII. 14) mali *moralis* abſentiam *ſanctitatisque* perfectionem futuram ante omnia complectatur (Matth. V. 6. VI. 10. [26]). Ne multa, Jeſus clare profitetur, divinum regnum, ad cuius ſpem & deſiderium (v. 33) ipſe excitet, quamvis regni illius cupiditate flagrantibus neceſſitates quoque, non eodem, ſed ad vitam terrenam pertinentes (ταυτα παντα v. 33. coll. v. 31. ſ.), Deus proſpicere ſoleat, *terrenis* certe opibus nequaquam contineri (v. 19. 24), ſed *cœleſti* beatitate (v. 20. V. 12), qua non arma potiantur & inſolentia, ſed pacis ſtudium (v. 9), miſericordia (v. 7), manſuetudo (v. 5. [27]) & modeſtia (v. 3). Quod vero attinet ad viam beatitatis, trita certiorem (VII.

26) Diſſ. de beata vita poſt mortem p. 4. 36.

27) Cum Iſraëlitæ habitationem in patria numeraſſent in maximi beneficii loca (Ps. XXXVII. 3. 27. 29): formula κληρονομησαι την γην (v. 11. 9. 22. 34) & brevior ἡ κληρονομια (v. 18) ſi non ad *felicitatem univerſe* ſignificandam (cf. Sirac. XXII. 23. & Ven. *Schleusneri* Spicileg. I. poſt *Bielium* p. 70. ſ.), certe ad maximam illam, quæ novo populo Dei propoſita eſt, quæque alias etiam cum veteris populi divini poſſeſſione comparatur (Ebr. II. 5. d.) IV. 3. e). h). v. 6. l), beatitatem depingendam apta eſt (cf. IX 15. m). Eius poſſeſſionis adeundæ (Matth. V 5) ducem ſe præbuit Jeſus, quæ nec eripi potuerit ab hoſte (cf. VI. 20) nec bello vindicari deberet, ſed cuius tenendæ ſpes firma atque immota (VII. 24. ſ.) in manſuetudine (V. 5) & pietate (v. 20. VI. 33. VII 21) ſita eſſet.

(VII. 13. f.), five ad eam *mentem*, *quam regni divini ſtudioſus induere debeat*, univerſe quidem δικαιοσυνης ſtudium (VI. 33) ardentius (V. 6.) ſolito & accuratius requiritur (v. 20), ſed divinæ voluntatis, ad quam (οι δικαιοι, five) cupientes regni divini conformare ſe debent (VII. 21—23), ea potiſſimum capita tractantur, quæ ad *amorem aliorum* ſpectant. Quamquam enim diſſertationi de hoc officiorum genere (V. 21. ff. [28]), VI. 1—4. VII. 1—5) etiam alia quædam interpoſita videmus: hæc tamen ipſa cum principali cauſſa manifeſtam conjunctionem habent. Veluti, quid locus (VI. 5. ff.) de animo curisque tum univerſe (v. 24. 20. f. [29]), tum in precibus (v. 6. [30]) & jejunio (v.

28) Quum v. 33. ff. perjurio non modo in jure jurando *per Dominum* (cf. *Kypke* ad v. 33) dato, ſed in eo etiam juris jurandi genere (v. 34—36), quod minorem vulgo ſanctitatem habere putabant (cf. XXIII. 16. 18. & Jac. V. 12. not. 200), locus omnino eſſe dicitur (Matth. V. 33. coll. XXIII. 20—22.); perfidiæ, quæ *amoris* contrarium eſt, occurritur & *fides optima* (V. 37) inculcatur.

29) Communis hic locus (v. 19—21) alibi (Luc. XII. 33. f.) nominatim revocatur ad quæſtionem de *beneficentia*, unde (Matth. VI. 1—4) Chriſti oratio deverterat ad cognatas quæſtiones de precibus & jejunio, quibus conſuetudo Phariſæorum (V. 20) ſimiliter, ac beneficentia, ad pietatem mentiendam abuti ſolebat (Luc. XVIII. 10. 12.)

30) Cum Phariſaica υποκρισις (v. 5) non modo amaret precari *in publico*, ſed oſtentationis gratia etiam *verboſe* precari geſtiret (XXIII. 14), *prioris* vitii caſtigatio (VI. 5. f.), quæ contextui (v. 1—4) aptiſſima fuerat (cf. v. 16—18), oratorem facile deduxit, ut in *altero* quoque vitio, quod ethnicis (v. 7) facilius condonari poterat quam rectiore Dei notitia (v. 8) imbutis hominibus, reprehenderet Phariſæos. Principale vero propoſitum ne hic quidem a Domino fuiſſe dimiſſum, ex eo intelligitur, quod, *brevioris* precationis *exemplo* (cf.

(v. 18) proprie, in Deum ejusque remunerationem defigendis, cum loco de ſtipis conferendæ recta ratione (v. 1—4) conjunctum habeat, dubitari non poteſt (v. 4). Nec temere latius hæc perſequutus eſt Jeſus. Ut enim præceptio de amore hominum alteri de amando Deo (XXII. 37. ſ.) ſimilis (v. 39), hujusve inſtar (v. 40), præceptorum ſeu voluntatis Dei (VII. 21) ſumma eſſet (v. 12. Gal. V. 14), ipſamque δικαιοσυνης (Matth. V. 20) notionem exhauriret, *talis* amor hominum ſignificandus erat,[81] qualis ab animo, *Deum* ejusque præmia, non alio (VI. 1. ſ. 19. 23.), ſpectante (v. 4. 6. 18. 20—22. 24. cf. v. 9. 10. 33. V. 45. 48), proficiſcitur. Verum c. VII. illuc rediit oratio, unde ad fontem *amoris erga alios* deflexerat, quumque, per occaſionem moniti, ut, „qui mite & æquum, h. e. tale *judicium de aliis* facere velit, quale ſibi expetat (v. 1. ſ.), ſe ante omnia ipſe diligenter caſtiget" (v. 3—5), eorum gratia, cum quibus Chriſto proprie res fuerat (V. 2), quique aliorum commodis *etiam verborum caſtigatione ſervire* (VII. 5. extr.) debebant, hæc cautio ſubjicitur (v. 6), ne „intempeſtivam ipſisque & veritati noxiam operam in iis conſumant, quos veri contemtores & oſores eſſe in anteceſſum conſtet;" mox v. 7—11. precatio commendatur, qua bonorum (v. 11) ante memoratorum, h. e. *amoris in alios*, quo δικαιοσυνη continetur (v. 12), ipſiusque (V. 20. VI. 33) regni divini, ſtudium verum cernatur & (VII. 7. ſ. 11) juvetur,

(cf. αυτοι εν v. 9. cum v. 7. ſ.) propoſito, in iis ſtatim & unice commoratur (v. 14. ſ.), quæ ad amorem alterius pertinebant (v. 12).

81) v. Diſſ. de ſenſu vocis πληρωμα not. 82.

tur, tandemque v. 12. ſumma rei ita dicitur, ut ſuperiora præcepta (cf. ϰν v. 12) *diſerte* ad *amorem hominum* revocentur, tanquam ad ſacrarum literarum ſummas (v. 12. extr. [32]); de quibus nihil remitti poſſit (V. 17.-19). Tametſi ergo montanam orationem, prout a Matthæo tradita eſt, omnino cohærere arbitramur; illud contra Ven. *Pottio* (Diſſ. de natura atque indole orat. montanæ cap. I. Sect. III) aſſentimur, quod celebris oratio præcipue *ad diſcipulos Chriſti* (v. 1) ſpectare (v. 2) putanda ſit, qui hoc ipſo nomine, quod Chriſti eſſent diſcipuli, editiorem locum obtinuerant (v. 14. f.), quumque oculos multi in eos conjecturi eſſent (v. 14. extr.), tanto magis debebant aliis non doctrina modo (cf. VII. 22), ſed exemplo etiam prælucere (V. 14-16), qui ſucceſſores *prophetarum* (v. 12. extr.) evadere, ſuaque tum vita tum *doctrina* (v. 19) alios quoque tanquam ſal (v. 13. cf. Luc. XIV. 35. & *Paulſen* vom Ackerbau der Morgenl. p. 37. f. 40. f.) feraces reddere (cf. XIII. 8. f.) debebant bene factorum (III. 10. coll. 8. V. 16). Dum vero Chriſtus *coram populo* (v. 1. VII. 28. VIII. 1) diſcipulis expoſuit, quid ab ipſis præter vulgarem ψευδοπροφητων (V. 20. VII. 15-20) & antiquiorum, quos iſti ſequerentur, magiſtrorum (cf. *Kypke* ad V. 21. add. Marc. VII. 3.

32) Propter ſequens vocabulum ϐους pro τȣτο dicitur ατος (cf. Ap. XX. 14. cum XXI. 8). Quo pacto ſenſus erit: *hoc* ſignificant, *ſibi volunt* (cf. Matth. IX. 13. XII. 7. Marc. VII. 34) ſcripturæ. Similiter Luc. VIII. 9. τις (pro τι) ειη, & v. 11. εϛι δε αυτη (pro τȣτο) η παραβολη valet: *quid dicat* (ſignificet) parabola, & : *hoc ſibi vult* parabola. cf. *Kypke* in Matth. XIII, 23.

VII. 3. 5. 8. f. 13.) confuetudinem obfervari *populoque tradi* vellet (Matth. V. 19); audienti *populo* fimul *ipfe tradidit* præcepta, quæ, quamvis adhuc inaudita (VII. 29), vehementer tamen ad illum pertinerent (v. 24. 27). Unde etiam bona pars præceptorum, quæ in oratione montana legimus, alio [33] tempore (Luc. VI. 27. fs) *multitudini*, quæ difcipulis, feorfum antea compellatis (v. 20. [34]), præfto fuerat (v. 17-19. VII. 1), *nominatim* dici potuit (VI. 27).

V. 3—10. Ad vocem *μακαριοι*, quemadmodum Luc. VI. 20. f. fupplemus verbum ἐστε (v. 22. Matth. V. 11), ut fermo *difcipulos Chrifti* (v. 1. f.) attingat (Luc. VI. 20-23), quorum v. c. triftitiam, fi veri atque conftantes difcipuli effent, lætitia confecutura erat (v. 21); quod (Matth. V. 4) de aliorum mœftitia non æque confirmari poterat. Neque obftant pronomina & verba *tertiæ* perfonæ in altera verficulorum 3-10. parte. Quæ enim, latine reddita, hoc v. c. fonant: „beati eftis, qui jacetis in mœrore, *vos* enim lætitia *afficiemini*„; eadem, fi verbum pro verbo reddas, hoc modo transferenda funt: „beati eftis, o ii, qui *funt* in mœrore! nam *illi* (mœrentes) voluptate *afficientur*.„ cf. Luc. I. 45. Pf. CXLIV. 10. „o Deus, canam tibi (v. 9), o is, qui eripit fervum *fuum*, i. e. canam tibi, qui eripis fervum *tuum*.„ (Obff. gr. p. 388. f.).

V. 13.

33) v. über den Zwek Joh. p. 347. fs.

34) Quæ v. 24-26. extant, in illius ætatis malos doctores (v. 26), qui lectis a Jefu (v. 12. f. coll. Matth. IX. 37 -- X. 4) doctoribus contrarii fuerant (IX. 36), dicta effe videntur. cf. Luc. XVI. 14. fs. (Diff. de beata vita poft mortem p. 22. 23) & Matth. XXIII. 13-15.

V. 13. Verba *ει μη βληθηναι εξω* cum superioribus: *εις ουδεν ισχυει ετι*, incommode videntur jungi, cum nulla in eo *vis* aut utilitas sit, quod abjici & conculcari aliquid debeat. Nec dubitamus, quin verba Matthaei similiter, atque consona Lucae (XIV. 35), seorsum accipere & vertere liceat: „*sed* (cf. über den Zweck Joh. p. 192. 262) *foras* ejusmodi sal *projiciendum est & conterendum ab hominibus*.„ v. Esth. IX. 1. (ebr.) Ap. XII. 7. coll. Ps. CXX. 7. (ebr.) & b. *Bengelii* Gnom. in l. c. Adde Obss. gr. §. LXX.

V. 17—20. Sacras literas (v. 17. f.) *e certa parte* [35] Dominus spectavit. Nam *historicis* partibus extrema versiculi 18. formula: ΕΩΣ *αν παντα γενηται*, nequaquam convenit, *praedictis* vero, quibus apta foret, contextus non favet, qui versatur in *legibus* (*εντολαις*), quae *ab homine* vel *violari* vel *servari* possint (v. 19), & iis quidem proprie, quae praescribant *τα καλα εργα* (v. 16), seu *δικαιοσυνην* (v. 20), iis necessariam, qui *in regno divino* contemni (v. 19. cf. Diss. de notione regni coelestis not. 94), seu (v. 20) proscribi nolint. Uno verbo, sacrarum literarum *morale* argumentum intelligitur, quemadmodum VII. 12. XXII. 40. Jesus igitur, discipulis (V. 1. f.), a quibus futurum munus docendi (v. 12. 19) recte factis ornari voluit (v. 16), suum magistri exemplum propositurus, v. 17. dicit, sacras literas, earumque *morale argumentum*, se ipsum non violare (cf. *Kypke* ad v. 17. n. 2.

35) Similiter Luc. XVI. 16. *ο νομος και οι προφηται* ex ea duntaxat *parte* spectantur, quae rerum futurarum *praedictiones* continet (Matth. XI. 13).

n. 2. p. 19), ſed explere atque (cf. l. c. p. 20) obſervare (*ποιησαι* v. 19), h. e. vita exprimere. Neque etiam in bonum doctorem, qualis ipſe ſit, aliam agendi rationem cadere. Neque enim (v. 18) ſacrarum literarum, ex *morali* parte ſpectatarum, vel apicem interiturum, ne minimam quidem, quæ videatur, *præſcriptionem* (*εντολην* v. 19) moralem, in ſacris literis extantem, irritam eſſe futuram (cf. *Raphelii* Annott. ex Herodot. p. 673. cel. *Loesnerum* in v. 18. p. 12. & conjunctiſſ. *Goezium* p. 80), dum intereat cœlum & terra, ſive [36] dum ſatisfactum fuerit omnibus. Quisquis igitur (v. 19) minimum [37] aliquod præcepto-

---

36) Ante *εως αν* (v. 18. extr.) intelligimus *εως* (cf. Notit. hiſt. epp. ad Cor. not. 9. & Ebr. II. 3. t.), idque *εξηγητικον* (Joh. VIII. 32). *Superiorem* nempe ſententiam, quod terra cœlumque periturum ſit citius (Luc. XVI. 17. cf. *Lud. Cappellum* & *Grotium* in Matth. V. 18), quam apex ſcripturarum, hæc *altera* explicat, quod ſacrarum literarum (ſeu legis divinæ moralis) apex (ſeu parvi ductum præſcriptum v. 19) interire nequeat, *dum omnibus ſatisfactum fuerit.* Neque repugnat (cf. perill. *Michaelis* Zuſ. der vierten Ausg. der Einl. ins N. T. p. 213), præſcripta legis divinæ crebro violari & *omnibus ſatisfieri.* Nam in iis quoque, qui divinas leges ne ſtuduerunt (v. 6) quidem ſervare, ſed ita perruperunt, ut Chriſti *ſatisfactione*, quæ ſalutis impedimentum, in humanæ *obedientiae* vario defectu poſitum, *ſalvo legis honore*, amovit (Comm. in ep. ad Hebr. P. II. §. 13—15. 18. ſ. p. 667. ſs. 672. ſs), nequeant (l. c. p. 378. ſs. 629. ſ. 679. ſs) gaudere, nec igitur ea beatitate (v. 6) potiantur, ut (l. c. p. 580. 616. ſ. 667) *voluntati divinae perfecte exequendae* (v. 6. VI. 10) & amori, qui legis ſumma eſt (VII. 12), in perpetuum (1 Cor. XIII. 8. ſs) exquiſite colendo pares fiant, hactenus certe *legi reſpondet* exitus, ut pœnas, *lege* pariter *ſancitas*, luant & (cf. l. c. p. 446) regno divino excludantur (Matth. V. 19. ſ. VII. 21—23).

37) cf. *Kypke* p. 22. ſ. & Obſſ. gr. p. 363. ſ. Quamquam ſenſus etiam hic eſſe poteſt: unum e ſacrarum literarum præceptis, quæ parvi ſolent

ptorum, de quibus v. 17. f. fermo fuerit (τυτων v. 19); h. e. minimum aliquod de præceptis *facrarum literarum*, violare (cf. *Kypke* p. 21. f.) & alios quoque ad hunc modum docere aufit, eum fcripturæ fanctitatem (v. 18), ne ab ipfo quidem regni divini principe (VII. 22. f.) neglectam (V. 17), hactenus certe perfenfurum effe, ut nullo loco numeretur in regno divino. Licet enim (v. 20) doctores, qui Chrifti (Luc. XVI. 15) & fuperioribus (Matth. V. 21. 33) temporibus maximam auctoritatem habuerint, complura præfcripta parvi faciant (pro ελαχιςοις habeant), eaque tum ipfi *violent* tum (v. 19) alios quoque parum ea curare *doceant* (v. 21. fs), idem tamen Chrifti difcipulis, qui regnum divinum affectent, haudquaquam licere, quandoquidem ea ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ, quæ potiri velit regni divini, præftare omnino debeat Pharifaicæ. Apparere putamus, δικαιοσυνης (v. 20) notione *cum actiones* (ποιησαι) *tum doctrinam* (διδαξαι v. 19) contineri. Cum enim de facrarum literarum *morali* parte fermo fit (v. 17-19), facile intelligitur, ipfi *pietati* (δικαιοσυνη) difcipulorum Jefu conjunctum fuiffe, ut religio *vitæ* feu diligentia in officii quovis genere *fervando*, cum alios inftituere deberent, religionem quoque in *docendo* feu accurationem in vitæ præceptis *tradendis* pareret (VII. 17. f.), quemadmodum contra Pharifæorum remiffior *vita* & negligentia in officio, quod parvi æftimarent (ελαχιςον putarent V. 19), *faciendo* ipfam quoque morum *doctrinam*, quam aliis

lent pendi. *Philo* apud cel. *Loesnerum* p. 12. *priorem* fenfum *ufitatiore* via exprimit,

aliis *traderent*, ipsorum vitæ (*καρποις* VII. 16. 20. coll. III. 8. 10) consentaneam (VII. 17. f. [38]), h. e. remissiorem effecit (V. 21. ss. XXIII. 16-19. XV. 3. ss). *Auditori* satis erat *observare* (VII. 24), quæ a Pharisæis, quatenus (cf. εν XXIII. 3) e Mose & sacris literis pendebant (v. 2), quæque insuper (V. 20) a Christo audierat; ii vero, cum quibus proprie Christus egit, sive discipuli, qui alios posthac ipsi *docere* debebant, *δικαιοι* esse non poterant, nisi rectiora sensa de præceptis divinis, ut reliqua vita, sic ipso etiam *docendi actu* exprimerent. Si pravam tradidissent doctrinam moralem, aut ipsi non recte sensissent de præceptis divinis, eorumque igitur ipsorum sanctimonia (*δικαιοσυνη*) hac parte non præstabilis (v. 20) fuisset, aut cogitate alios in errorem induxissent certarumque legum violandarum auctores esse voluissent, itaque leges divinas sua ipsorum actione perfregissent. Hactenus igitur Christus, dum legi morali, in sacris literis expressæ, congruenter se *vivere* dicit (v. 17), eidem se, quia *doctor* fuerat, *hoc* quoque vitæ actu respondere, seu convenienter ei *docere* profitetur. Neque igitur h. l. necesse videtur, ut verbi *πληρωσαι* usitata notio augeatur chaldaizante, quæ Col. I. 25. invenitur, aut, si malis, verbum *διδασκειν*, diserte v. 19. adjunctum, v. 17. intelligendo adjungatur (cf. S. V. *Mori* Diff. theol. & philol. p. 81). Nam in hoc ipso significatu: *stabilire vivendo*, alter jam inest: *docendo stabilire.*

V. 21. f.

38) cf. über den Zwek Joh. p. 348. f.

V. 21. f. E duabus opinionibus, quarum optionem celeberr. W. A. *Tellerus* (art. *Gericht* & *Richter*) dedit, *prior* haſtenus præferenda videtur, ut *κρισιν* non de *judicio minori oppidano*, cuius profeſto, Chriſti ſaltem ætate, non fuit (cf. celeberr. *Michaelis* ad v. 21. p. 64. & *Krebſium* ad v. 22. p. 21), de *capitali* (v. 21) cauſſa cognoſcere, ſed de *pœna univerſe* intelligamus. Ceterum ſententia, quam Phariſæi (v. 20) ab antiquioribus traditam habebant (v. 21), ut disjunſto pronunciato (v. 22) patet, hoc ſibi voluit: *homicidam* utique *pœna teneri* (v. 21), ſed (v. 22) alteri temere iraſcentes, imo contumeliam dicentes, leviter a regula aberrare, præceptum, quod tanti non ſit (ελαχιϛον), migrare (λυσαι v. 19). Similiter perjurii interdiſto ſubjeſta adjunſtio: "dabis vero jusjurandum *per Deum*" (v. 33), non hoc modo dicit, "jusjurandum, quod quis per Deum juraverit, veriſſimum eſſe debere," ſed hoc quoque ſignificat (cf. not. 28.), perjurum non eſſe habendum, qui jusjurandum, *per alias res* datum (v. 34—36), non ſervaverit, tale jurandum religionis eſſe nullius (XXIII. 16. 18). Jeſus contra, qui maiore (V. 19. f. cf. v. 46. f. VI. 7. 32.) ſuos religione obſtringit, etiam temere ſuccenſentem pœna teneri, & contumelias facientem hominis, ſynedrio obnoxii, ſimilem[39], h. e. graviore, quam qui temere iraſcatur, pœna dignum eſſe, præcipit (V. 22). Quo autem clarius appareat, non de pœna, *qua* ſynedrium afficere debeat, ſed de pœna, *quali* ſynedrium multare ſoleat, h. e. *graviore* (cf. *Krebſium* l. c.), ſermonem

39) Sic υμεις εϛε το αλας της γης, το φως τε κοσμε (V. 13. f.) valet: *ſimiles* vos eſtis ſali, ſoli. cf. Jac. III. 6. Jud. 12. Ebr. XII. 29. b).

nem esse, v. 22. tertia sententia subjungitur, quae locum, ubi pœna vel minor vel major sufferenda sit, expressius definit: „qui vero contumeliam fecerit, graviorem, quam dixi, pœnam luere debet *in geenna*, obnoxius est *futuris* (v. 29. f. cf. XVIII. 9. cum v. 8. & *Wetstenium* ad V. 22. p. 299) *pœnis*[40], quae sunt *regni divini* (v. 19. f. 3. 10. VII. 21) contrarium." Qui non modo *prioribus* enunciatis (V. 22), de quibus facile consentimus, sed *tertia* quoque sententia, quae *genus* pœnae videtur nobis finire, varios delicti & pœnae *gradus* significari putant, il probare debebant, *ρακα* & *μωρε gradu diversa* convicia esse. Quod si vero prius vocabulum cum plerisque interpretibus verbo *κενε* exprimamus, quid intererit inter *ρακα* & *fatuum*? Facile quidem videmus, *Erasmo*, cuius quaestionem nostram fecimus, responderi, nomen alterum *potuisse* hominis *profani* & *athei* maculam inurere. Quidni vero *κενε eodem* angustiore *sensu* usurpari *potuerit*? Illud autem proprie vocabulum (*μωρε*), quod certe ex communi usu loquendi multo latius patet, in convicio non

40) Εις ante την γεενναν, quia *dativi* praecedunt (v. 21. f.), pro nota *dativi* habemus. cf. X. 17. Ebr. VI. 6. not. s). & Notit. hist. epp. ad Cor. not. 159. Ceterum Jesus mox (Matth. V. 23—26) ostendit, quomodo geennae obnoxius factus pœna, qua teneatur, liberari possit, si nempe iram in alterum, cui temere succensuerat aut contumeliam dixerat, non modo ipse ponat, sed, quum ipse melius erga laesum affectus (ευνοων v. 25) fuerit, jam laesi quoque, cui materia querelarum (v. 23. 25.) data fuerit, voluntatem recuperare studeat. (v. 24. cf. Comm. in ep. ad Hebr. p. 408), & summopere quidem maturet ac urgeat (v. 24. f.) satisfactionem suam, ipso sacrificio magis necessariam (v. 24. coll. Marc. XII. 33), licet injuriae factae (Matth. V. 22) interdictum pro nihilo soleat putari (v. 19.—21.)

non latiore, sed isto unice sensu, contra vero ῥακα non angustius in partem duriorem, sed latissime tantum accipi consuevisse, quis præstabit? Imo hebraicum ריק ex consuetudine loquendi certa atque explorata *profligatissimos quosque*, ipso perill. *Michaelis* (ad V. 22. p. 66) fatente, significavit (2 Par. XIII. 7); Christi vero ætate nominis asperitatem mitigatam fuisse, sumitur, haud probatur. Quæ certe *Wetstenius* (in Matth. V. 22 p. 298) coëgit loca, ea omnia sunt recentiorum temporum, partim vero etiamnunc convicio *tanquam acerbissimo* utuntur. v. *Lightfootum* in l. c. Opp. Vol. II. p. 286. & *Buxtorfii* Lex. Talmudicum p. 2254. voc. ריק ad extremum.

V. 39—42. Cum *petentes precibus* (v. 42) non dici possint *injuriosi* (πονηροι), neque tamen versiculum 42. cum *Grotio* (ad v. 41. s.) & celeberr. *Hessio* (Gesch. der 3 lezten Lebensjahre Jesu T. I. p. 144) a superioribus divellere audeamus, quia similium capitum versiculos (v. 21. ss. 27. ss. 31. s. 33. ss. 43. ss.) *cohærere* videmus: τω πονηρω malumus pro *neutro* habere, & de molestia eove, quod *grave* (πονος, μοχθος) est, intelligere (cf. Ebr. X. 22. g.) p. 220). Jesus nempe discipulos suos *molestiæ* vult ita patientes esse, ut novam citius injuriam patiantur, quam ut pro accepta similem ipsi inferant (Matth. V. 39), doctrina Pharisæorum favente (v. 38. cf. perill. *Michaelis* Mos. Recht §. 242. P. V. p. 84. s.), ut summo jure contra se agi sinant ipsique beneficio juris renuntiare audeant, itaque duro v. c. creditori, qui litigare voluerit de tunica, si quid ultra debeant,

beant, isque velit accipere [41], ipsum quoque pallium, quo ægerrime pauperes carebant quodque propterea jure Mosaico (l. c. §. 150. P. III. p. 65 ss.) privilegium habebat, relinquant (v. 40), ut onera publica (cf. celeberr. *Michaelis* ad v. 41) eo animo subeant, qui vel comitati erga exactorem & humanitati locum relinquat (v. 41), ut ea denique officia, quæ exigi nequeunt, quamvis molesta, non detrectent continuo, sed recti amoris interno jussui non minus pareant (v. 42) quam externæ necessitati.

VI. 4. 6. 18. Quamquam εν τω κρυπτω idem esse concedimus, ac το κρυπτον, hujus certe significatus caussam non quærimus in ellipsi articuli (το) aliave simili, quæ, tametsi in hac loquendi forma (Obss. p. 242) locum habet, [42] insolentior tamen esse videtur, quoties istiusmodi formula *obliquo* casu accipienda est, neque tamen ut *epitheton*, i. e. nomine vel pronomine intercedente, sed per se sola e verbo pendet. Quæ certe *Grotius* in v. 4. attulit exempla, longe diversa sunt. Malumus ergo præpositioni εν, quemadmodum Coh. XI. 4. apud LXX, eamdem vim tribuere, ut hebraico ב objecti.

VI.

41) Ita Lucas VI. 29. „ab eo, qui juxta pallium tuum & tunicam *capit* (sumit), ne cohibeto ea.“ cf. IX. 50. cum Marc. IX. 39. Ceterum structura, quam sumus h. l. secuti, omnem dubitationem tollit, quam celeberrimo *Michaelis* (in l. c. p. 400. & Zus. von der vierten Ausg. der Einl. p. 241. 159.) attulit verborum και τον χιτωνα vulgaris constructio cum *sequentibus*, non cum *antecedentibus*.

42) v. conjunctiss. *Gazium* ad v. 4. & Diss. de sensu vocis πληρωμα not. 70.

VI. 22. f. Oculo in apodosi parabolæ respondet *animus* (*η καρδια* v. 21), corpori *systema actionum* (τα εργα). Si animus fuerit sanus, integer, rectus (cf. *Kypke* in. v. 22. f.), h. e. Deo (v. 4. 6. 18. 24) & cœli studio (v. 20. 33) deditus; actionum systema universum, ne iis quidem actibus exceptis; qui viles & a sanctimonia remoti habentur (cf. Col. III. 18. f. 23. f.), lucidius, h. e. (Eph. V. 8—10. 1 Joh. I. 5. 7. II. 10) rectius, Deo probatius præmiisque ac beatitate (Jo. VIII. 12. extr.) fecundius evadet (Col. III. 24. Matth. VI. 4. 6.) Si contra animi valetudo mala fuerit, si cupiditatibus rerum terrenarum captus fuerit animus & excæcatus (v. 24. 19. 21), universum systema actionum, ne iis quidem exceptis, quæ tanquam luculentæ & piæ splendent (v. 1. f. 5. 16. XXIII. 5. Luc. XVI. 15), obscurum erit ac nigrum, h. e. (Eph. V. 5—7. 11. 1 Joh. I. 5. f.) divinis laudibus ac præmiis illustrari non poterit (cf. Phil. III. 19. Matth. XXIII. 13—15. Luc. XVI. 15). Quodsi ergo in animo, qui vice luminis est, [43] cæca nox fuerit; quanta caligo erit? Si animus recte affectus Deoque probatus non est; quam lubrica & intuta (cf. 1 Joh. II. 11) erit omnis agendi ratio? Videndum igitur, ne animus cæcutiat rerumque fluxarum (Matth. VI. 19) cæca cupiditate raptus Deo nequeat esse addictus (v. 24). Quæ Lucas XI. 36. simili ad-

43) Si *protasin* allegoriæ spectes, *το φως* hoc loco (Matth. VI. 23.) *oculus* est, qui etiam v. 22 dicebatur lumen hominis (corporis) proprium. Unde Luc. XI. sententiam (v. 35), nostræ similem, excipit (v. 36) mentio *corporis* lucidi, ut manifestum sit, *το φως το εν σοι* (v. 35) esse *τον λυχνον τε* ΣΩΜΑΤΟΣ, oculum (v. 34).

admonitioni (v. 35) subjecit, ea versiculum 33. respicere illumque cum sequentibus duobus conjungere videntur. Christus se v. 33, ut alias Matth. V. 15 [44] discipulos, *lucernae* comparaverat, quae abdi aut tegi non soleat, sed, quamvis conspicua, lumen *corporis proprium*, idque sanum, requirat, si conspici ipsa totique corpori lucem debeat impertire (Luc. XI. 34). Jesus & doctrina & miraculis tam conspicuus fuit, ut auditores doctrinae ipsius originem divinam videre, illaque admissa (v. 28), mentem (cf. v. 32) totamque vitam mutare, & conjuncta (Matth. IV. 17. V. 20. VII. 21) beatitudine (Luc. XI. 28) gaudere potuissent (X. 13. Jo. XV. 22. 24). Sed multorum oculi sic caligarunt (IX. 36. cf. über den Zwek Joh. p. 10), ut in media luce, quam non agnosci mirarentur alii (v. 30 ss), vel accusarent tenebras (Luc. XI. 15) vel clara luminis documenta flagitarent demum (v. 16. 29). Tam vitiosus (πονηρος v. 34. coll. 29) & ab amore veri tam vehementer alienus animus non admisit utique divinum lumen (v. 33), cujus beneficio systema actionum (το σωμα v. 34) luce impertiri, h. e. melius & beatitati conjunctius effici potuisset. Cuivis ergo, num animus, qui pro lumine ipsi esse debebat, tam graviter coecutiret, ante omnia dispiciendum (v. 35), & curandum erat, ut veri amantior fieret. Si igitur (v. 36) hoc (v. 35) factum esse sumamus, si nimirum animus vero pateat divinoque lumini (τω λογω τυ Θεου

v.

44) Similiter cum *sole* (Jo. XI. 9) tam se ipse (VIII. 12), quam discipulos (Matth. V. 14) comparavit.

v. 28) aditum permittat, fi oculus fit integer, fiue, quod eodem redit (v. 34), corpus beneficio oculi totum luce fruatur, ut nullum membrum in tenebris verfetur; corpus erit lucidum totum *ea ratione, qua fit, ut lucerna fulgore fuo* (v. 33) *aliquem collufiret.* Doctrinam Chrifti integro animo exceptam atque reconditam (v. 28) non fingulis tantum nigris actibus, v. c. criminationi, qualis v. 15. legitur, obftare, fed totum fyftema actionum mutare, ut nequeas te velut partiri hoftibus & amicis Chrifti (v. 16. 23. 29. cf. Comm. in epp. ad Hebr. p. 543. f.), vitiis & virtutibus, non magis mirandum eft, quam quod [45] candelæ fplendor non uni tantum alterive membro, fed toti corpori unius oculi beneficio præluceat. Si veritatis lux penetraverit in animum, ad actus, qui proficifcuntur ab animo, cujuscunque tandem fint generis, non poteft non dimanare. Cum animus doctrina Chrifti collustratus eft, per omnis generis luculenta facta exfplendefcit (Matth. V. 16).

VI. 34.

45) Tautologia, ad quam tollendam *Maldonatus* cogitavit de voce ομματος pro σωματος vocabulo fubftituenda, alii vero alias conjecturas attulerunt (cf. perill. *Michaelis* Einl. in das N. T. p. 647. Zuf. p. 159), facile depellitur, fi modo recogitemus, in priore parte enunciati v. 36. quemadmodum in verficulo 35. qui certe non præcipit *oculi*, fed *animi* curam, non tam protafin fimilitudinis, e v. 34. repetitæ, quam *apodofin*, h. e. vim doctrinæ Chrifti in omnes vitæ partes, fpectandam effe, hancque in altera parte enunciationis (v. 36. extr.), duce verficulo 33, illuftrari potuiffe comparatione cum lucerna.

VI. 34. Η ημερα respondere videtur hebraico היום (Obss. p. 119), disjuncto της αυριον. „Ærumnæ satis habet hæc (*hodierna*) dies, ut nihil sit, quod præsentis temporis ærumnam cumuletis metu eorum malorum, quæ *crastina* dies sive futurum tempus forte afferat."

XI. 25. ss. Cum recogitaret Jesus, quam obstinate (v. 16-18) aliena sit ab ipso multorum voluntas (v. 2. 3. 6. [46] 20—23), etiamsi Joannes (v. 7—14) & ipse (v. 4. s. 20) communem in regno divino auditoribus commendando operam posuerint (v. 18. s.); mox (εν εκεινω τω καιρω) recreavit mentem læta gratiarum actione, *quod Pater* pro voluntate sua benigna (ευδοκια v. 26. cf. Luc. XII. 32. Ps. V. 13. LI. 20. LXIX. 17.) eas res, in quibus [47] peregri-

46) cf. über den Zwek Joh. p. 23. 304.

47) Vox ταυτα Matth. XI. 25. spectare quidem poterat ad ea, quæ Jesus *paullo ante* de se ipso (v. 3) docuerat (v. 4. 6. 10—14) & miraculis firmari dixerat (v. 4. s. 20), sed quæ vix attendi conquestus fuerat (v. 19. ss). Quoniam vero eadem vocula Luc. X. 21. in *antecedentibus* non habet, quo referatur: utroque loco ad *sequentia*, h. e. ad ea, quæ Jesus de sua doctrina *in animo habebat* dicere (v. 22. cf. Matth. XI. 27), pertinere potius videtur, quemadmodum Am. I. 3. 6. (Obss. p. 400) suffixum in verbo אשיבנו, & Matth. XVII. 18. pronomen αυτω, quod ad δαιμονιον referri loca similia (Marc. IX. 25. Luc. IX. 42) jubent, non ad antecedentia, sed ad *consequentia* spectat. Quo pacto sensus est: „finis quidem, ut hoc, quod a te institutus in medium proferre soleo (Matth. XI. 27), intelligentes fugiat, *sed* (Ebr. IV. 5. k) patefacis rudibus," aut, quod idem dicit, „*tametsi* hoc præterit intelligentes, *tamen* (cf. Act. XXVIII. 26) id patefacis rudibus," aut, si malis, „hæc, quæ intelligentibus finis esse incognita, rudibus certe patefacis."

egrinos eſſe ſinat (cf. conjunctiſſ. *Goezium* in Matth. XI. 25.) intelligentes, *rudibus certe patefaciat* per (v. 27) filium, cui omnia tradita & præcepta ſint (cf. *Goezium* in v. 27) *a Patre*, ut *Patris* (v. 25) doctrinam (cf. Joh. VIII. 28. XII. 49. f. VII. 16) accipiant, qui ab ipſo diſcant (Matth. XI. 29), ſed qui cum Patre eam quoque conjunctionem habeat, ut mirandum non ſit, cur intelligentiſſimi quique, qui *ipſum audire nolint*, cum omni ſua intelligentia nec Patrem nec filium cognoſcant & nihil eorum videant (v. 25. cf. Jo. IX. 39.[48] XV. 21. 23. f.), quæ vel indoctiſſimi *ab ipſo* (Matth. XI. 27. extr.) ſeu a Patre (v. 25), *cujus* doctrinam ipſe proferat, accipere poſſint (v. 27). *Intelligentes*, quos notavit Dominus, Phariſæi maxime & legisperiti fuerunt, ad quos etiam ſuperior querela (v. 16—19) reſpexit (Luc. VII. 30). *Rudium* contra indoctorumque (*νηπιων*, cf. *Kypke*) nomen præcipue quidem *diſcipulos* Chriſti (Matth. XI. 11. 12.[49] cf. quoque Luc. X. 21. cum 17. ſs) ſignificat, qui alias quoque, cum tenuiores fere & contemti eſſent, *μικροι* appellantur (Matth. XVIII. 6. 10. 14. Luc. XII. 32. cf. S. R. *Noeſſelt* Opuſc. Faſc. I. Diſſ. I. §. VIII), ſed pertinere tamen etiam videtur ad alios, qui ad ſuſcipiendam Jeſu diſciplinam invitandi demum[50] erant (Matth. XI. 28. f.).

Nam

48) cf. Diſſ. de ſenſu hiſtor. p. 7. über den Zwek Joh. p. 10.

49) Diſſ. de notione regni coel. p. 15. f.

50) Vis verbi *αποκαλυψαι* (Matth. XI. 25) non obſtat, cum aoriſti ſæpe *praeſens ac futurum* tempus una cum præterito ſignificent. cf. *Raphelium* ex Xenoph. ad Luc. I. 51. & *Vigerum* de gr. dict. idiotiſmis p. 204. ſs.

Nam in contemta atque indocta (Jo.VII.49) plebe (νηπιοις Matth. XI. 25. πτωχοις v. 5), quæ & Joannem (Luc. VII. 29) & Jeſum (Matth. XI. 5) ſimpliciore animo audivit, quam plerique honoratiorum (v. 18. ſ. coll. Luc. VII. 29—35. Jo. VII. 48. ſ. XII. 42. ſ.), complures haud dubie fuerunt, qui, quamvis nondum addixiſſent ſe Jeſu, probe tamen perſentiſcerent (cf. Marc. I. 22. Matth. VII. 28. ſ. Joh. VII. 46), quam πραος και ταπεινος (Matth. XI. 29) ſive quam remotus eſſet Jeſus a duritie & faſtu vulgarium magiſtrorum, qui, ignorantia & miſeria populi nec modice tacti (cf. εσπλαγχνισθη IX. 36. & v. 13), de animis auditorum ad ſanitatem & tranquillitatem reducendis (cf. αναπαυσιν XI. 29) non laborarent, ſed homines, cetera neglectos (ερριμμενους, cf. *Kypke* ad IX. 36), curarent tamen moleſtis pariter ac inutilibus præceptis onerandos (cf. φορτιζειν XI. 28. Luc. XI. 46), aliisque modis (Jo. X. 1. 8. 10. [51] Matth. XXIII. 14. 25) divexarent (cf. εσκυλμενοι IX. 36), eos denique, qui opis & conſilii potiſſimum indigerent (v. 11. ſ.), & quibus ο ταπεινος τη καρδια (XI. 29) etiam cum ſua contumelia (v. 18) quam mitiſſime (cf. Luc. XV) ſubveniret, prorſus faſtidire ſolerent. Tales igitur auditores, qui legis peritorum diſciplina fatigati (κοπιωντες Matth. XI. 28. cf. *Kypke* ad Jo. IV. 6) eſſent, ad ſuam diſciplinam Jeſus eo affectu allexit, qui in femina, vitæ flagitioſæ pœnitentiam agente, ſed per vulgarem diſciplinam nullo auxilio adjuta, tantos facile, cum ſermonem Chriſti (Matth. XI. 28. ſs) audiret, fiduciæ, amoris & grati animi ſenſus ciere potuerit, quantos hiſtoria, noſtram ex-

cipiens

51) cf. über den Zwek Joh. p. 21. ſ.

cipiens (cf. über den Zwek Joh. p. 318), describit (Luc. VII. 37. f. 44—47).

XII. 5—8. Etsi verba: *ο υιος τȣ ανθρωπȣ* (v. 8.) de *homine universim* consueveramus interpretari; nuper tamen dubitationem attulit is ipse locus (Marc. II. 27. f.), quo maxime nititur *Grotius* (ad Matth. XII. 8). Mirari enim cœpimus, unde sit, quod Marcus II. 27. voce *τȣ ανθρωπȣ* iterum utatur, sed v. 28. eam subito formulam substituat, quæ, singulariter & cum articulo posita, apud Marcum & ceteros evangelistas *Jesu* propria esse, & eorum fere judicio, qui de magnitudine Jesu propter humanitatem & vilem conditionem ejus minus recte existimarent (Joh. I. 47. Act. VI. 14), ipsiusque humilitatem (Matth. XVI. 21) ac dignitatem (v. 16—20) conciliare non possent (v. 22. f.), hactenus opponi solet, ut Jesus homo (*υιος ανθρωπȣ* Jo. V. 27. cf. Ebr. II. 6. Marc. III. 28) quidem esse dicatur, sed (Jo. I. 52. Act. VII. 56. Matth. XVI. 13. 27. f. XXVI. 64. Marc. VIII. 38) eminentissimus (cf. articulum Ap. III. 17. Obss. p. 122. f.), uno verbo, talis, qualem Daniel (VII. 13. f.) memoraverit, qui, tametsi æqualibus, in terra versantem conspicientibus, mira & incredibilis res visa fuerit (Jo. V. 28), tamen, cum idem (Matth. XXVI. 63. f. XVI. 13. 16. f.) Dei filius sit (Jo. V. 17—26), judex constitui *potuerit*, eaque ipsa de causa, *quod homo sit* (v. 27. cf. über den Zwek Joh. p. 510. f.), judex *hominibus* datus fuerit (v. 22. Matth. XVI. 27). Uno verbo, *ο υιος τȣ ανθρωπȣ Christum* dicit, quod ipsi auditores Jesu vi-

 de-

derunt (Jo. XII. 34). Neque etiam hæc notio a contextu vel Marci vel noſtri loci abhorret. Ut enim Matth. XII. comma quintum, cujus clauſulam verſiculo 7. extremo reſpici, Ven. *Heſſu* (Geſch. der drey lezten Lebensjahre Jeſu T. I. p. 177) ſcite obſervavit, *dignitatis Jeſu*. (cf v. 41. 42) haud obſcura ſignificatio excipit (v. 6); ita ſimile pronunciatum ſe, timo etiam verſiculo ſubjici (v. 8), non improbabile eſt. Si multo laborioſiora opera, quam quibus (cf. *Lightfootum* ad v. 2) opus fuerat diſcipulis Jeſu ad victum quærendum (v. 1), ſacerdotes ſabbato *templi gratia* (cf. ɛɣ VI. 7), ne de cultu ipſi debito, nominatim ſacrificiis, detraheretur, facere conſueverant, idque impune, cum agerent lege (XII. 5): multo etiam magis inſontes (v. 7) erant diſcipuli, cum tantula opera cibum caperent eo modo, quo deberent ſumere *propter Chriſtum*, non ſacerdotibus tantum, ſed ipſo, cujus cauſſa iſti eſſent, *templo majorem* (v. 6). Quippe enim Chriſtus etiam ſabbati tempore munus, ſacerdotali multo gravius, adminiſtrabat, ſuosque diſcipulos comites habere volebat, ut non vacaret ipſis cibum ſibi parare, quo ſabbati die veſcerentur (v. *Grotium* ad Matth. XII. 6). Etiamſi vero tantam dignitatem, quæ ipſo etiam templo ſanctior eſſet (cf. Jo. V. 23), adverſarii recuſaſſent Jeſu concedere: *prophetam* certe potuiſſent agnoſcere, cujus doctrina (cf. Matth. IX. 12. ſ. 36) & miracula (Act. X. 38. Jo. X. 32) homines miſeros inſigni *beneficio* ornarent, quod per ſcholam ipſius poſſet etiam latius patere (cf. Matth. IX. 37. ſ. X. 7. ſ.). Atqui Deus miſericordia delectabatur magis quam ſacrificiis (XII. 7), quibus tamen faciendis ſacerdotes impune

pune & *legi convenienter* ſabbatum violabant (v. 5). Unde promtum erat, Jeſum *divinæ voluntati* (Luc. IV. 43. & Joh. XVII. 6. 8. 12. 14. Act. I. 21. ſ.) non minus obſequi quam ſacerdotes, cum ſabbato quoque (Jo. V. 16. 17. [52]) muneri ſatisfaceret, hoc eſt, docendis ſanandisque hominibus, & diſcipulis in comitatu ſuo eidem beneficentiæ præparandis, miſericordiam hominibus adhiberet (Matth. XII. 12. Luc. XIV. 3–6. Jo. VII. 23). Quodſi ergo Phariſæi vel pronunciatum illud ſacrarum literarum tenuiſſent, de quo nuper (Matth. IX. 13) Jeſus admonuerat; diſcipulos ipſius reprehenſuri non fuiſſent, quippe inſontes manifeſto (XII. 7). Nam (v. 8.) *Jeſus*, tametſi univerſa dignitas (cf. v. 6) τȣ υιȣ τȣ ανθρωπȣ, per quam ipſe ſabbati auctor (cf. Ebr. XII. 26. o) eoque nomine abſolutus dominus (Joh. V. 16–18. [*]) fuerat, nondum agnoſceretur, *hac* certe *de cauſſa* (cf. ωςε Marc. II. 28) etiam ſabbati uſurpandi poteſtatem habebat, quod ſabbatum erat *hominum* gratia, nec vero homines ſabbati cauſſa erant (v. 27). Atqui Jeſus operibus, quæ ſabbato ediderat, & quibus conjunctiſſima fuerat neceſſitas actionis (Matth. XII. 1), cujus poteſtatem Jeſus fecerat diſcipulis (v. 6. 7), quæ vero in Phariſæorum reprehenſiones incurrerat (v. 2. 7), haud profecto minorem hominibus miſericordiam impertitus fuerat, quam ſacerdotes, qui, ut hominibus ſacra faciendo inſervirent (Ebr. V. 1.), ex legis ſententia ipſo etiam ſabbato urgere debebant opus ſuum (Matth. XII. 5).

XXIV.

52) cf. über den Zwek Joh. p. 196.
*) l. c. p. 197. ſ.

XXIV. 22. Ad æquales temporum excidii *christianos* (cf. Ven. *Lessium* über die Relig. T. II. p. 524), qui mature (l. c. p. 559) aufugerant, longinquitas vel brevitas *obsidionis* Hierosolymorum nihil magnopere pertinuit (v. perill. *Michaelis* ad v. 20. 22. p. 245. f.) Neque etiam *obsidii* exitus talis fuit, ut a superstitibus *Judæis* haberi potuerit loco *beneficii* (v. S. R. *Lessium* l. c. p. 555. Apol. der Offenb. Joh. p. 296—299). Nec denique caussa intelligitur, quamobrem *longior Hierosolymorum obsidio* perniciem *universæ* nationis, populive, *per tot tamque dissitas regiones dispersi*, talem internecionem afferre debuisset (cf. celeb. *Michaelis* ad v. 22. p. 245), ut *posteritati*, cui Deus prospicere voluisse dicitur, nullus omnino locus relinqui potuisset. Malumus ergo calamitatis (v. 21. 29.) tempora (τας ημερας εκεινας v. 22) de populi Judaici *universo* exitio (Luc. XXI. 23), h. e. de urbis excidio *ejusque consequentibus* (v. 24) accipere (cf. Apol. cit. p. 323). Quod si populus Judaicus malis, funestissimo bello conjunctis & seræ posteritati propagatis, ut hactenus, ita semper permitteretur: nemo fere (cf. Jo. III. 32. Luc. XV. 1.) Judæorum consecuturus esset (cf. Rom. IX. 31. ss. XI. 7-10. 20-22. 25. 28) salutem, ex evangelii (Matth. XXIV. 14) obsequio pendentem (v. 13. [53]) Unde nec miramur, incassum fere omnes labores fusos fuisse, quos inde ab excidio urbis ad christianam doctrinam Judæis com-

53) Σωθηναι h. l. non ii dicuntur, qui incolumes a calamitate futuri sint, sed quorum fidelitas erga Jesum calamitate & ipsa morte (v. 9) non labefiat. Similiter X. 22. ii demum σωθηναι dicuntur, qui odia hominum & mortem ipsam (v. 21. f.) Christi caussa (v. 18. 22) fortiter ferant.

commendandam impenderunt. Sed ingentis mali continuatio divinitus (Marc. XIII. 20) inhibebitur (κολοβωθησονται αι ημεραι εκειναι) propter eximios homines (τους εκλεκτους Matth. XXIV. 22. cf. Rom. XI. 7), quos in illa gente Deus reperiet. Horum salutem (v. 26) & fidem, unde pendet (v. 23), suo tempore (v. 25. coll. Luc. XXI. 24. & Apol. der Off. p. 323) juvabit etiam externa, qua populus diu projectus (v. 23. f. Matth. XXIV. 21) incipiet uti, conditio pristinæque calamitatis exitus (v. 22).

XXIV. 30. ΤΟ ΣΗΜΕΙΟΝ του υιου του ανθρωπου hoc eodem versiculo cum formula του υιου του ανθρωπου commutari ipsumque igitur *Christum* significare videtur. Locus certe similis (Luc. XXI. 27), qui τὸ σημειον του υιου του ανθρωπου non commemorat (cf. Marc. XIII. 26), sed ipsum adventum του υιου του ανθρωπου terribili expectationi των επερχομενων (Luc. XXI. 25. f.) continuo subjungit, nostro loco tanto exquisitius respondebit, si Matthæi verba in hanc sententiam interpretemur: „conspicietur το σημειον του υιου του ανθρωπου in cœlo. Atque tum (exitus respondebit horribili (Matth. XXIV. 29) nationum (εθνων Luc. XXI. 25) expectationi, quippe) lamentabuntur omnes nationes (v. Apol. der Offenb. §. 22. not. 3.), quod (cf. και alterum Ap. XIX. 3. cum οτι v. 2 6. & Obss. gr. p. 301) videbunt τον υιον του ανθρωπου venientem in nubibus cum magna majestate.“ Nomen vero του υιου του ανθρωπου vocabulo ΣΗΜΕΙΟΝ (in genitivo appositionis, cf. Ebr. XI. 38. a) propterea jungitur, quod Christus hoc tempore non, ut alias & in ipsa, quæ superius (Matth.

 XXIV.

XXIV. 15. ss.) prædicta fuerat, nationis Judaicæ insigni calamitate (cf. l. c. §. 22. not. 2), sed nova plane & *mirificissima* ratione majestatem suam & virtutem manifestabit. Post varia *miracula* (σημεια Luc. XXI. 25), *in sideribus cœli* extitura (Marc. XIII. 24. Matth. XXIV. 29. init.), *in cœlo* conspicietur (v. 30) aliud *miraculum*, nempe filius hominis; Christus ita se ostendet, *ut sit miraculo.* Neque enim *solo* effectu, ut antea (v. 15. ss.), sed, quod novum & inauditum est, *ipse* (Act. I. 11), qui adhuc a conspectu terricolarum abditus est (Col. III. 3), sed, quia homo est (Jo. V. 27), secus, ac pater (v. 22) invisibilis (1 Tim. VI. 16), potest certe humanis oculis cerni, denuo (Ebr. IX. 28) conspicietur, quumque non effectus tantum, a Christo *in terra* edendus, sed ipse *in cœlo*, sive, quam interpretationem in extremo versiculo 30. Matthæus substituit, *επι των νεφελων τȣ ȣρανȣ* conspicietur, extraordinariæ majestati (*δυναμει και δοξη πολλη*), quæ in ipso apparebit (cf. v. 31. XXV. 31), etiam *extraordinaria magnitudo* effectorum (XXIV. 29. extr. [54] XXV. 34. 41. 46. 2Thess. I. 7—10) respondebit, *patentium latissime*, non ad populum singularem (Luc. XXI. 23), sed ad *omnes* (*πασας τας φυλας της γης* Matth. XXIV. 30. cf. v. 31. XXV. 32) pertinentium. Neque est, quod offendat aliquis in significatu miraculi, quem

54) Cum adventu Domini ipso non tantum portentosa eventa in sideribus, ceterum perdurantibus (v. 29. init. Marc. XIII. 24. Luc. XXI. 25), sed ipsorum siderum eversio & ruinæ (Matth. XXIV. 29. extr. Marc. XIII. 25. Luc. XXI. 26. coll. Ebr. XII. 26. f. 2 Petr. III. 7. 10—13. App. XX. 11) conjungentur (Matth. XXIV. 30. Marc. XIII. 26. Luc. XXI. 26. τοτε).

quem vocabulo *σημειυ*, quamvis non de *re*, sed de *homine* usurpato, tribuere ausi sumus. [55] Etenim Luc. XI. 30. ubi vox *σημειυ* perspicue *miraculum* dicit (v. 29. coll. 14-16), tum *Jonas* tum *Christus* (*ὁ υιος τȣ ανθρωπȣ*) æqualibus *miraculo* (*σημειον*) fuisse leguntur, quoniam (Matth. XII. 40) *in persona* utriusque [56] miraculum (*σημειον* Jo. II. 18) revocationis ad vitam (v. 19—22) extitit. Unde nec dubitamus Luc. II. 34. *miraculum* (*σημειον*) intelligere, in quo (cf. v. 33) Jesus cum a Simeone (v. 26. s. 30—32), tum a matre inprimis (I. 29. 34-37. 49), cui hæc nominatim dicta fuerunt (II. 34), putari debebat, quod vero post Herodem, primum, quumque Simeon loqueretur, recentissimum [57] adversarium (Matth. II. 13. ss), multi deinceps, etiam cum summo matris dolore (Luc. II. 35), in dubium vocaturi & impugnaturi erant (Joh. VI. 42. VII. 12. 41-43. Matth. X. 25. XI. 19. XII. 23. s. XXVII. 39-43. 63. s.).

XXIV. 33. *Ταυτα παντα* non ad *proxime dicta* de præsentia judicis (v. 30. s.), qui potius ipse [58] ex *istorum omnium* (*τȣτων παν-*

55) cf. Ven. *Mori* Dissertt. p. 143. ss.

56) De *Jona* v. conjunctiss. *Gazium* in l. c. et ill. *Eichhornii* Einl. ins A. T. P. III. p. 243. s. 252.

57) cf. *Hanberi* Harm. Anmerk. P. I. Anm. 3. 4. 6.

58) Verba *εγγυς εϛιν επι θυραις* (v. 33) ad personam (cf. Jac. V. 9) *τȣ υιȣ τȣ ανθρωπȣ*, de qua Matth. XXIV. 30. s. sermo fuerat, tanto certius spectant, quod Lucas XXI. 31. *την βασιλειαν τȣ θεȣ*, cum ista eveniant, imminere scribit. Atqui regnum divinum, in quo piorum salus consummata erit (v. 28), tum aderit, cum Dominus redierit (v. Diss. de

*παντων*) eventu *instare demum* intelligitur, sed ad longam illam *populi Judaici* calamitatem ejusque finem, quæ *superius*[59] descripta fuit (v. 15-29), pertinere, sequentia (v. 34) docent, ubi *hujus nationis* judaicæ (*της γενεας ταυτης*, cf. Neue Apol. der Off. p. 324. f.), quæ v. 33. ob oculos Domino versabatur, expressa mentio fit: „cum ista omnia, & *calamitas* longa judaicæ gentis (not. v. 22) & *finis* calamitatis (cf. *μετα* v. 29. Marc. XIII. 24. *αχρι* Luc. XXI. 24), exitum habebunt, ante oculos positum erit indicium appropinquantis adventus Domini & regni ejus (cf. Apol. der Off. p. 323). Neque enim metuendum est, ne tanta (v. 23. Matth. XXIV. 21) calamitas multo ante exstirpet hanc gentem, quam nova & maxima documenta majestatis Christi terræ impendeant; sed durabit, dum ista omnia, etiam quæ de exitu calamitatis prædicta sunt, evenerint." Quo pacto significatum vocabuli *γενεα*, quem sumsimus, non usui tantum loquendi consentaneum, quamvis paullo rariorem, sed ipsi etiam contex-

de notione regni cœlestis §. VIII). Ceterum hic quoque locus (v. 31) argumento est, v. 27. Matth. XXIV. 30. f. de animadversione in Judaicum populum nequaquam agi. Nam, eversis Hierosolymis, neque adventus regni divini, *quem speramus adhuc*, dici potest appropinquasse, neque *praeconium evangelii*, quod ante excidium urbis latissime patuit (v. perill. *Michaelis* ad v. 14), prope demum absfuit. Sed aliis quoque incommodis ægerrime se expediunt (v. cel. *Michaelis* ad v. 31. Luc. XXI. 25. p. 248. f. 481), qui prædictum Christi Matth. XXIV. 29. ss. non ad futura tempora (cf. Apol. der Off. §. 22. not. 4), sed ad Hierosolymorum interitum referunt.

59) Sic *ταυτην* Matth. XV. 15. non ad proximam sententiam (v. 13. f.), sed ad superiorem (v. 11) respicit (v. 17—20. cf. Marc. VII. 17. cum v. 15. 18—23). Adde *τουτων* 2 Tim. II. 21. coll. 16. f. & Obss. gr. p. 400.

textui, quod perill. *Michaelis*, qui prius illud omnino diffiteri non audet, in ea, quam fecuti fumus, interpretatione defiderat (ad v. 34. p. 251.), aptiffimum effe confidimus. Neque magis altera, quæ p. 235. e v. 40. f. objicitur, difficultate movemur. Dudum enim ab interpretibus (v. c. *Bengelio* in Gnom.) foluta eft e verficulo 31. qui Viro celeberrimo tantum negotii faceffivit (p. 248. f.). Quidni enim boni, quos angeli [60] colligere (v. 31) itemque (cf. 2 Petr. III. 5-7. & *Erasmi* Paraphr. in Matth. XXIV. 40. f. p. 155), ut familiam fervandam Noachus (Matth. XXIV. 37. f.), recipere (παραλαμβανειν v. 40. f.) dicuntur, evadere (Luc. XXI. 36) queant periculo, cui pars relicta fuccumbet?

XXV. 46. Κολασιν αιωνιον *fempiternam* pœnam [61] effe, eo minus dubitamus, quod, *Jofepho* auctore, tum Pharifæi (L. II. de bell. jud. c. 8. §. 14. p. 166. cf. L. XVIII. Antt. c. 1. §. 3. p. 871) ΑΙΔΙΟΝ τιμωριαν, tum Effeni quoque (L. II. de bell. c. 8. §. 11. p. 165) τιμωριας ΑΔΙΑΛΕΙΠΤΟΥΣ crediderunt, neque igitur difcipuli Jefu, *fempiternæ* in impios animadverfionis expectatio-

60) Etiam XIII. 49. bonos malosque homines feparaturi leguntur *angeli*, idemque ipfum v. 41. confirmatur, fed prægreffa comparatio (v. 28—30. 40) flagitavit, ut hoc loco *mali* potius (v. 38)., quam boni. dicerentur colligi.

61) Απερχεσθαι εις κολασιν valet *pervenire* (incurrere) *in* animadverfionem, *adire* (fubire) pœnam, quemadmodum απερχεσθαι εις ζωην & v. 21. 23. απερχεσθαι εις την χαραν eft *adire* beatitatem, lætitiam. cf. Luc. XXIV. 26. & Diff. de notione regni cœleftis not. 19.

tione dudum imbuti, vocabulum αιωνιον, quamvis per se ambiguum [62], in aliam partem interpretari potuerunt, nisi, quod secus est (cf. v. 41. & Marc. IX. 43-46. 48. [63]), pœnis impiorum vel in hoc ipso contextu vel alias diserte Christus finem statuerit. Et nihil profecto est, quod amanter optantes atque sperantes in caussa damnatorum contra judicis (Matth. XXV. 31. ss) amantissimi (v. 40. 45) auctoritatem in jejuna calumnia delitescant. Qui enim damnatos pedetentim ita progressuros sperant, ut meliore sensim mente ac conditione sint, ipsi tamen fatentur [64], damnum certe, quod miseri faciant, non posse non [65] *sempiternum* esse, eaque clades cum beatitatis & dignitatis jactura, quam ipsi etiam beati sua culpa [66] fecisse possunt, ne comparari [67] quidem debebat, sed longe alio sensu *poena* sempiterna dicitur. Nam qui meruerunt, ut beatitatis gradus *inferior*

62) v. celeberr. *Eberhardi* Neue Apol. des Sokrates T. II. p. 514. f. & S. V. *Doederleinii* Inst. Theol. christiani §. 223. Obs. 1.

63) Priore loco improborum hominum pœna conjungitur cum diaboli pœna, quæ *per omnem* diaboli *vitam* durabit (Gen. III. 14. cf. Commentat. de protevangelio p. 8. 18). Altero loco pœna (πυρ και σκωληξ Sir. VII. 17. cf. celeb. *Schleusneri* Spicil. II. post *Bielium* p. 159) αυτων, h. e. (Ebr. IV. 8. p) eorum, qui απερχονται εις την γεενναν, εις το πυρ το ασβεστον (Marc. IX. 43), *non emori*, sive, ut *Josephi* formula (L. II. de bell. c. 8. §. 11. p. 165) utamur, αθανατος τιμωρια esse dicitur.

64) v. celeb. *Eberhardum* T. I. p. 429. T. II. p. 482. f.

65) v. cl. *Beyeri* Versuch über die Strafen der Verdammten u. deren Dauer p. 54. ss.

66) Quæ aliunde (v. Comm. in ep. ad Hebr. p. 629. f.) pendet, *graduum* diversitas huic quæstioni prorsus aliena est. v. laudati *Beyeri* Fortgesezten Versuch über die Strafen der Verdammten p. 96. ss.

67) cf. l. c. p. 81—95.

*ferior* ipsis decerneretur, numquam certe in *damnatorum* (v. 41) numero, sed in *decoratorum* (v. 34) ordine judicis sententia habiti fuerunt (Luc. XIX. 19. 2 Theff. I. 10. Rom. II. 10), cum contra illud detrimentum, quod damnati patientur, fit ejusmodi, ut vitæ eorum *universæ* turpitudinis hanc *notam* inurat, quod *sero*, & *damnati* demum *ad proprium supplicii locum*, per plagas ibi acceptas sapere cœperint. Deinde *perpetuitas aliorum* quoque malorum, proficiscentium, ut his utamur, a corporis, ad pœnam facti (Jo. V. 29), habitationis (Marc. IX. 44. 46. 48. ὅπου) & societatis, quamvis variabili (Matth. XI. 22. 24) & profectui in bonis animi convenienter decrescente, incommoditate, necessaria esse possit ad animos, qui tam ægre corrigebantur, in officio retinendos ac sensim longius provehendos, ipsisque igitur damnatorum resipiscentium commodis non modo *naturalis* illa *damni* pœna, sed *positivarum* quoque pœnarum *sempiternæ* reliquiæ servire queant. [68]

XXVIII. 1. Quamquam probasse nobis videtur *Kypkius* (p. 144), formulæ ὀψὲ σαββάτων *propriam* vim eam esse, ut *non confectum*, sed *extremum* sabbatum dicat: ea tamen a *Grotio* & aliis (cf. S. R. *Doederlein* Fragm. und Antifragmente P. I. p. 251) exempla putamus esse prolata, unde efficiatur, huic quoque versioni locum esse: *finito sabbato*. Neque etiam, unde natus fuerit hic usus loquendi, mirabitur, qui recogitaverit, ut *extre-*

68) v. S. R. *Griesbachii* Anl. zum Studium der popul. Dogmatik §. 111.

*tremum sabbati.* hoc loco, ita alias *alia tempora* non pro *labentibus* habenda, sed *effluxisse* putanda esse (Obss. gr. p. 268. 253. s.). Vicissim eae loquendi formae, quae *transactum* tempus *proprie* significant, de rebus *intra* hoc tempus gestis usurpantur (v. über den Zwek der evl. Gesch. Joh. p. 336). Jam vero Matthaei verba in priorem sententiam commode accipi non posse, contra *Kypkium* (p. 145) celeberr. *Michaelis* (Erkl. der Auferstehungsgesch. Christi p. 108. f.) ostendit. Mulieres igitur, *sabbato*, quo ipso nec aromatibus parandis ad iter se accingere (Marc. XVI. 1. cf. Luc. XXIII. 56. & celeberr. *Doederlein* p. 244. f. perill. *Michaelis* p. 101. fs), nec iter suscipere voluerant, rite *transacto*, *illucescente aurora* (cf, *Kypke* p. 146.) *primae* (εις μιαν pro μιας [69]) *feriae*, sive, ut Marcus scribit (XVI. 2), λιαν πρωι ΤΗΣ ΜΙΑΣ σαββατων, *cum sol in eo esset*, *ut* (cf. 2 Tim. IV. 6. f. Diff. de notione regni coelestis not. 22. & *Elsnerum* ad Luc. V. 6.) *oriretur*, profectae (cf. Joh. VI. 17. perill. *Michaelis* l. c. p. 112. f. conjunctiss. *Goezium* in Matth. p. 538) dicuntur ad invisendum sepulcrum. Quemadmodum vero haec temporis finitio, quod jam illuxerit aurora, sive, quae Marci formula idem dicit (cf. celeb. *Michaelis* p. 141), solis ortus institerit, cum Lucae XXIV. 1. & Joannis XX. 1. significatione conjungi possit, facile ex eo intelligitur, quod inter ipsam profectionem, mox primo diluculo institutam, hac praesertim anni tempestate (l. c. p. 126), aurora non potuit non illucescere. Matthaeus (XXVIII. 1) & Marcus (XVI.

69) cf. ל ebr. & εν gr. Gen. VII. 11. (Obss. p. 284) ipsumque εν 1 Petr. I, 11. (Comm. in ep. ad ebr. p. 530).

(XVI. 2) non, ut Lucas & Joannes, ipſum exitionis tempus, ſed illud potius finiunt, ubi Dominus e ſepulcro prodiit (v. 9. 6.), & angelus, a mulieribus deinceps viſus (Matth. XXVIII. 5. Marc. XVI. 5), ſollicitudini, in qua feminæ proficiſcentes hoc temporis puncto fuerant (v. 3.), materiam ſubtraxit (Matth. XXVIII. 2. Marc. XVI. 4).

## MARC. III. 32. 33.

*Plurales* ειπον & αυτοις, ſimilesque apud Lucam (VIII. 20. 21): λεγοντων & αυτες, locum tamen habuerunt (Ebr. VI. 2. z), etſi nuntium ab *uno ſolo* perlatum fuiſſe novimus (Matth. XII. 47. ſ.). Ceterum ad λεγοντων (Luc. VIII. 20) cogitando adjungimus participium conjugatum (Obſſ. gr. p. 411), ut tota enunciatio hæc ſit: λεγοντων των λεγοντων, *dum dicebatur*. Eadem [70] ellipſis apud LXX. nunc in ipſis *genitivis* (1 Par. XVII. 24. & (in cod. Vaticano) 1 Sam. XXIV. 2), nunc in *nominativis* [71] conſequentiæ (v. c. Gen. XLVIII. 1. Ex. XVIII. 6. 1 Sam. XIV. 33. Eſ. VII. 2) reperitur. Neque etiam ſtructura Ap. XI. 1. facilius expediri videtur, quam voce λεγων in hanc partem accepta, ut idem dicat, quod λεγων ο λεγων, ſeu λεγοντος τυ λεγοντος, *dum dicebatur*

70) Interdum, quod omittitur, participium conjugatum non pro ſubjecto, ſed *praedicatum* eſt, ut Eſ. XVIII. 2. הַשֹּׁלֵחַ (ſc. שֹׁלֵחַ), ὁ αποστελων (ſc. αποστελων εστι) valet: mittens (mittit) nuntios, i. e. (Obſſ. p. 412. ſ.) *mittuntur* nuntii. cf. ſimiles ellipſes Obſſ. p. 406. n. III.

71) Exempla *nominativorum* conſequentiæ dabit *Eraſmus Schmidius* ad Matth. X. 14.

*batur* (cf. λεγοντες Ez. XII. 22), aut, si malis, *& dicebatur*, quemadmodum 2 Reg. XVIII. 36. λεγων significat: *& edictum erat.*

IV. 21—25. Christus, ut reliqua (Matth. X. 26. f.), quae separatim a turba discipulis tradidit, sic etiam lumen, *parabolis*, publice dictis, seorsum inter discipulos adhibitum (Marc. IV. 10—20. 33. f.), cum aliis suo tempore communicari voluit (v. 21. f.). Imo doctrinae, parabolis significatae (v. 11), non alio consilio involvebantur (εγενοντο αποκρυφοι v. 22) a Domino, nisi [72] ut obscuritas ipsa [73] nobiliores (v. 11) certe parabolarum auditores ad magistri sententiam indagandam &, si ab ipsis (Matth. XIII. 51) reperiri non posset (Marc. IV. 13), e Domino sciscitandam (v. 10. Matth. XIII. 36) provocaret, hacque via (Marc. IV. 34) oboriens lux (v. 21) sensim longius manaret. Ne multa, doctrinae, initio tectae (v. 11. 33. f. γενομενα αποκρυφα v. 22), *per apostolos ceterosque discipulos* (v. 10) in lucem & notitiam publicam debebant proferri (εις φανερον ελθειν v. 22). Sed huic consilio discipuli servire non poterant, nisi parabolas, sive in publicum proponerentur, sive explicarentur seorsum, audirent attente, quoque studiosius animum discipuli magistro adhibebant, hoc liberalius deinceps magister discipulos aliis quoque doctrinis impertiturus erat (v. 24. f. Luc. VIII. 18).

VII.

72) cf. *Grotium* in v. 22. & *Raphelium* (ex *Herodoto*) in IX. 7.
73) cf. Diss. de parabolis Christi p. 19.

VII. 19. Neutrum *καθαριζον* ad *παν το εξωθεν εισπορευομενον* v. 18. perincommode refertur. Ne enim desideremus exemplum significationis, quam verbo *καθαριζειν* haec ratio tribuit [73], *edulia* certe, quae, ore accepta (v. 18. coll. Matth. XV. 17), *ejiciuntur*, vix possunt dici pura *relinquere* omnia *edulia* (Marc. VII. 19). Cum enim cibi ingesti (*το εξωθεν εισπορευομενον* v. 18) hoc loco spectentur ex ea parte, quae tanquam impura (*κοινη* v. 15. 18) *egeritur* (v. 19), iidem (*τα βρωματα*) haud commode possint in eadem sententia continuo spectari ex altera parte, quae tanquam pura *relinquitur* seu remanet. Neque vero propterea lectionis mutatio [74] facienda est. Atqui perill. *Michaelis* versioni nullus locus esse videtur, nisi pro voce *καθαριζον* vel masculinum *καθαριζοντα* [75] vel TO *καθαριζον* [76] substituas. Sententiam, quam Vir celeberrimus cum *Luthero*, *Vatablo* (in Marc. VII. 19) aliisque sub hac voce *αφεδρωνος* subjicit, ne vocabimus quidem in controversiam, tametsi altera vis, quae

73) cf. *Cornelium a Lapide*, *Zegerum* & alios.

74) cf. *Bowyeri* Konjekturen über das N. T. ex edit. celeb. *Schulzii* p. 87. f.

75) *Subjecto* enunciationis masculino vel feminino *praedicatum* neutrum respondere potest (v. *Kypke* ad Matth. VI. 34. p. 40. & *Vigerum* de gr. dictionis idiotismis p. 61), sed, masculino substantivo (*τον αφεδρωνα*) in *eadem* pronunciati parte adjectivum seu participium neutrum (*καθαριζον*) *tanquam epitheton* jungi, hoc est, quod dubitamus.

76) Quum participia vel adjectiva neutra *substantivorum* vices habent, ut *καθαριζον* a celeberr. *Michaelis* redditur hoc vocabulo: *Reiniger*; constanter praefigi solet (v. *Vigerum* l. c. p. 336. 259. 58.) articulus, quem etiam perill. *Michaelis* versio coacta fuit adjicere.

quæ *Heinſio* (SS. Exercitt. L. I. c. XI. p. 55) & plerisque interpretibus probatur, pari jure eſt. Cum enim ἕδρα, unde ἀφεδρὼν profectum eſt, & *ſedem*, quæ *pars hominis* eſt (v. *Suidam* voc. ἕδρα T. I. p. 681), & *ſellam*, nempe *pertuſam* ſive *familiaricam* (l. c. voc. ἕδραι & p. 392. voc. ἀφ' ἑδρῶν), ſignificet: derivata etiam vox ἀφεδρῶνος in utramque partem accipi poterat. *Prioris* generis ſignificatum vocabulo ſubjicit *Suidas* (voc. ἀφ' ἑδρῶν), cujus ſolius auctoritate perill. *Michaelis* (in *Caſtelli* Lex. Syriac. p. 196) defenditur. Quam enim præterea affert (l. c. p. 197. & Annot. vernacul. ad Matth. XV. 17. Marc. VII. 19. p. 164. 327. ſ.) Syri veteris auctoritatem, ea vocari poteſt ipſa in dubium, cum nullo niſi locorum Matth. XV. 17. Marc. VII. 19. exemplo probari poſſit, *inteſtini recti* ſignificatum in vocabulo ܡܕܟܝܬܐ ineſſe, hoc vero ipſum in quæſtione verſetur, utrum vox ſyriaca, quæ *purgationem* proprie dicit (v. c. Marc. I. 44), duobus iſtis locis, ubi *tropicam* vim habet, *purgatorem* inteſtinum humani corporis ex ſententia celeb. *Michaelis*, an *locum*[77] purgationis ſeu familiæ ſellam, quæ *Druſii* interpretatio eſt (ad Matth. XV. 17), ſignificet. Atque hanc *alteram* notionem, *latrinæ* nimirum ſellæve, ipſi græco vocabulo ἀφεδρῶνος *Heſychius* & *Phavorinus* (voc. ἀφεδρῶνες) tribuunt. Jam perill. *Michaelis*, qui καθαρίζον cum accuſativo τον ἀφεδρῶνα per appoſitionem conjungit, *priorem* ſignificatum vocabuli ἀφεδρῶνος pro certo & unice verò ſumit (v. *Caſtelli* Lex. Syr. ex ed. cit. p. 196). Nos vero, qui clau-

77) cf. Obſſ. gr. p. 76. ſ. & conjunctiſſ. *Gœzium* in Matth. XXVII. 6. p. 516.

clausulam versiculi nostri ad universam, quae praecedit, sententiam referimus, judicium de ambigua hac voce *αφεδρωνος*, ad quam extrema commatis 19. verba nihil pertinere arbitramur, lectoribus integrum reservamus, nec laboramus, *Suidae*, an *Hesychii* auctoritate vis nominis definiatur. *Zegerus* quidem, etiamsi fateatur, se non videre, quo illud *purgans* (*καθαριζον*) possit referri commodius, quam ad id *totum*, quod praecessit: *sed in ventrem vadit & in secessum* (*αφεδρωνα*) *exit*, postremo tamen metuit, ne cui violentius hoc judicetur, ejusque interpretationis, quam primam posuimus, hocque ipso nomine, quod ea potius videretur nobis dura esse, rejecimus, optionem dat lectoribus. Sed nihil erat, quod priori structurae suae timeret *Zegerus*. Quod si enim verba: *ο εστι*, quorum ellipsis est tritissima (Ebr. VIII. 1. i), ante *καθαριζον παντα* &c. cogitando suppleamus, haec profecto clausula versiculi 19. ad praecedens enunciatum universum spectare non minus poterit, quam *πολλω μαλλον κρεισσον* (Phil. I. 23), *εις ουδεν χρησιμον* (2 Tim. II. 14), & in loco *Athenaei*,[78] quem *Kypkius* ad Luc. XXIV. 47. p. 344. s. attulit, *participium neutrum εισθιομενον* ad proxime antecedentes enunciationes pertinent. Ceterum verbo *purgandi* (*καθαριζον*) nostro loco non vis *purificandi*, sed haec notio: *removere* expurgando (Ebr. I. 3. h.), subjecta videtur. Unde vertimus: *quae res* (hoc, quod omnis generis cibi, per os ingesti, descendunt in ventrem & in anum, vel: in foricam, deferuntur),

78) *Ποτας καθειναι αυτους δια σε νυν; (ὃ) προτερον εκ (γη) εισθιομενον.*

tur,) *amovet omne genus ciborum*, qua purorum, qua immundorum, ut igitur cibi, pro immudis putati, impuritatem, qua affecti sunt, non propriam, sed cum puris cibis communem habeant, eadem utrinque via excernendam, ut pertinere ad animum nullo modo possit. Ubi vero est, ut cibi animum vitient, id [79] neque proprium est ciborum, qui habentur immundi, sed in puros similiter cadit, & proficiscitur intus ab animo (Marc. VII. 20. s.) ejusque intemperantia (ασελγεια) & stultitia (αφροσυνη v. 22).

IX. 20. Nominativus ιδων, quod ex *altero* αυτον intelligitur, pro *accusativo* positus est (cf. Matth. VII. 24. Obss. gr. p. 297.). *Ægrum*, ut conspicatus est Jesum, ad quem ducebatur, illico concussit dæmon, ut (cf. Obss. p. 302) humi prostratus volutaretur & spumas ageret.

XVI. 9. ss. E codicum, quos opera doctorum Virorum cognitos habemus, maximo numero *unus* Vaticanus 1209. (in quatuor evangeliis græce a cel. *Birchio* editis p. 316. & Prol. p. XXI.) Marci hoc capitulum simpliciter omittit, plures vero cum scholiis exhibent, quæ vel in *quibusdam* exemplaribus id extare negant, ut codex V. [80] S. Mariæ Bened. Flor. apud *Birchium*, vel in *quibusdam* exemplis hoc loco (v. 8), quousque etiam

79) v. *Calvinum* ad Matth. XV. 15. (Harm. p. 245) & celeb. *Michaelis* ad Matth. XV. 17. p. 165.
80) p. 316. legitur quidem codex IV, sed correximus errorem e Prolegomenis p. LIII.

etiam deſcendat Euſebii canon, evangeliſtam deſinere, in *multis* vero etiam verba: *αναςας* &c. legi ajunt, ut codd. Ven. 6. 10. apud *Birchium* & tres alii apud *Wetſtenium*, niſi quod duo poſteriores verba, ad Euſebium pertinentia, non habent. *Gregorius Nyſſenus* apud *Millium* (Prol. 812), in *accuratioribus* exemplis Marci evangelium ad verba: *εφοβουντο γαρ*, finem capere, ſcribit, de reliquo ad tollendam *εναντιοφανειαν* inter v. 9. & Matth. XXVIII. 1. auctor eſt ejus conciliationis, quæ deinceps a *Victore* & *Severo* Antiochenis, *Suida* & *Theophylacto* repetita eſt. *Victoris* judicium (cf. cel. *Matthaei* Evl. ſec. Marcum p. 269) huc redit, „cum in exemplis *quibusdam* evangelio Marci hæc verba addantur: *αναςας δε* &c. ea vero cum Matthæo pugnare videantur, dicere ſe poſſe (*ερουμεν*, cf. Obſſ. gr. p. 15. f.), quod liceret profecto (*ως δυνατον ην ειπειν*, cf. l. c. p. 16), adulterinam eſſe, quæ in libris *quibusdam* exhibeatur, Marci clauſulam, ſed ne videatur confugere ad id, quod proclivius eſſet, verba controverſa ita ſe pronunciare, ut diſtinguat poſt *αναςας δε*." Deinde pergit, „hæc verba, Marci evangelio ſubjecta, in *plurimis* (*πλειςοις*) exemplis non extitiſſe, (a nonnullis enim habita fuiſſe pro adulterinis), ſe vero ex accuratis exemplis, (quippe cum [81] in plerisque invenerit iſta *ſecundum* (*κατα*) *Palæſtinenſe* evan-

81) *Accuratos* fuiſſe libros ſuos, hac ratione confirmat, quod plerique eorum ducti fuerint ex Palæſtinenſi evangelio Marci, ideoque verba, nonnullorum judicio notha, hic inventa & lecta fuerint *ſecundum Palaeſtinenſe evangelium* Marci, quod, cum Marci ipſius fuerit, ſine dubio veram lectionem exhibuerit.

*evangelium*, h. e. ducta e Palæſtinenſi evangelio, *Marci*), ut vera lectio ſonet, [82] etiam Domini reſurrectionem, verbis: *ἐφοβουντο γαρ* in illo (Palæſtinenſi evangelio Marci) ſubjectam, appoſuiſſe.“ Hæc ipſa vel integra, vel ex parte, modo priore, modo poſteriore, in aliorum atque aliorum codicum ſcholiis apud *Wetſtenium* leguntur. In eorum numero, qui alteram partem habent, codex 24. S. R. *Griesbachio* teſte (Symb. crit. T. I. p. 101), ab ea formula, quam *Wetſtenius* (haud dubie e ceteris quatuor libris [83]) expreſſit, & ab iis verbis, quæ *Victoris* Catena apud cel. *Matthæi* exhibet, longius recedit, librario forſan plurium, quæ ad manum habuerat, [84] exemplarium ſcholia commiſcente. *Severus* denique (apud *Wetſtenium*) partim a *Nyſſeno* partim a *Victore* ſua mutuatus eſt. Habemus igitur, controverſam Marci clauſulam inde a ſeculo quarto a *quibusdam*, iisque ex nonnullorum judicio accuratis, libris, imo, ſi *Victorem* Antiochenum audiamus, a *permultis* exemplis abfuiſſe. In quam ſententiam *Hieronymus* quoque ad *Hedibiam* (quæſt. 3. Opp. T. III. p. 96) ſcribit, Marci teſtimonium in *raris* (*τισι* ſecundum *Victo-*

82) Recte igitur b. *Bengelius* (App. crit. p. 516) negavit, controverſum Marci locum a *Victore* agnitum non eſſe. Item vero etiam de Anonymo *Toloſano* judicandum fuiſſe, contra *Millium* (ad Marc. XVI. 8) cel. *Matthaei* (l. c. p. 268. ſ.) oſtendit.

83) Libri certe Italici & Vindobonenſes apud *Birchium*, iique numero *undecim*, ad formulam *Wetſtenianam* conſentiunt, niſi quod pro verbis *γαρ ενομισαν*, quæ apud *Wetſtenium* & *Matthaei* pariter leguntur, *νομισαντες* (cod. 24. *νομησαντες*), & pro *τεθεικαμεν* cum cel. *Matthaei* & cod. 24. *συντεθεικαμεν* exhibent.

84) v. celeberr. *Griesbachium* l. c. p. CLXV.

*Victorem*) ferri evangeliis, *omnibus* græcis libris *pene* hoc capitulum in fine non habentibus, præſertim cum diverſa atque contraria evangeliſtis ceteris narrare videatur. Sed facile intelligitur, illud *pene omnibus* non nimis urgendum eſſe, cum & *Hieronymus* ipſe L. II. adv. Pelag. (T. II. p. 193) in quibusdam exemplaribus, & *maxime in græcis* codicibus, non modo *finem evangelii* Marci, ſed auctarium quoque verſiculi 14, cui vero metuit, ne contradicant Pelagiani, repererit, & magna vis codicum, in quibus Marci teſtimonium hodie fertur, quosque nemo dixerit ab uno duntaxat & altero libro, ſive a *nullis pene* omnes manaſſe, imo verſionum quoque omnium, cum ab una Armenica diſceſſeris, quæ capitulum habet quidem in fine, ſed ſeorſum, maxima conſenſio abunde confirmet, haud profecto nihil librorum græcorum, unde noſtri codices græci pluresque verſiones, *Hieronymo* juniores, fluxerint, unde forſan Marci clauſula etiam in eccleſiæ græcæ lectionaria venerit (cf. Cel. *Matthæi* p. 267. ſ. & R. *Simonium* Hiſt. crit. du texte du N. T. p. 121), latitantem in rure Bethlehemitico Hieronymum (T. III. p. 94) effugiſſe. Illud exploratum eſt, libros, ſive plures, ſive pauciores, qui in verba εφοβουντο γαρ (v. 8) deſierint, minime accuratos, ſed lectionem oppido falſam ſecutos fuiſſe. Quis enim ſibi perſuadeat, Marcum, etiamſi Romæ ſcripſiſſet [85] Petri-

85) Auctor ſubſcriptionis codicum, quibus *Victor Antiochenus* uſus fuit, iis temporibus, quibus vel Romæ vel Alexandriæ Marcum ſcripſiſſe falſo putabant (v. Notit. hiſt. epp. ad Cor. p. 85. ſs.), antiquior & ætati evangeliſtæ, qua, librum ipſius *in Palaeſtina* editum fuiſſe (cf.

trique vel mors vel captivitas mirabili prorsus infortunio ipsi verborum laudatorum exarationi supervenisset (cf. perill. *Michaelis* Erkl. der Auferst. gesch. Christi p. 183. s. & Zus. der vierten Ausg. der Einl. in das N. T. p. 225. s.), *ante illud temporis punctum* ex Petro de resurrectione Domini ita nihil audivisse, ut, quia meram *Petri* narrationem exhibere voluerit, nunc vero apostolum consulere non amplius potuerit, & e superioris temporis institutione nihil, quod huc pertineret, habuerit, continuo sermonem abrumpere & evangelii absurdissimum (cf. l. c. p. 225. & Erkl. der Auferst. gesch. p. 180. s.) finem facere cogeretur? Quando igitur Marcus librum suum *ipse conclusit* absolute, eorum omnium codicum, in quibus clausula *desideratur*, *nullum* profecto testimonium est. Si enim clausula vulgari propterea carerent, quod e libris ducti essent, Marci textum diligentius referentibus: non *nullam*, sed *aliam* clausulam haberent. Proclive igitur judicatu est, brevioris lectionis originem non ab *historicis* testimoniis, quae mutatura fuissent clausulam, e libris tollere nequaquam poterant, sed a judiciis repetendam esse, quae τινες των εξηγητων, ut *Euthymii Zigabeni* verbis (apud cel. *Matthaei* p. 268) utamur, ad clausulam Marci apposuerant, quod, ut *Hieronymus* ait, diversa atque contraria evangelistis ceteris, praesertim illi οψε σαββατων Matth. XXVIII. 1, quod etiam in *quarta* & *quinta* Hedibiae quaestione solvenda plurimum negotii *Hieronymo* facessit, narrare videatur. Omnes certe veteres scriptores,

(cf. über den Zwek der evl. Gesch. Joh. §. 59. f.), adhuc constabat, propior fuisse videtur.

res, qui controversum Marci capitulum a certis exemplaribus abfuisse tradunt, ut *Nyssenus*, *Hieronymus*, *Victor* & *Severus* Antiochenus, de illa Marci (XVI. 9.) discrepantia cum Matthæo mentionem faciunt ejusque tollendæ viam, a *Nysseno* monstratam, proponunt. In promtu esse putamus, criticam *interpretum conjecturam*, per quam nonnulli, ut se liberarent quæstione, *Hieronymo* teste (ad quæst. 4. *Hedibiæ* p. 96), voluerunt, in Marco (XVI. 9) non additum esse cognomen *Magdalenæ*, & ex superfluo scriptorum inolevisse vitio, quod primum evangelista non scripserit, apud alios contra eo valuisse, ut universum locum nota in codicibus ad v. 9. apposita damnarent, hinc vero, quemadmodum in narratione de adultera [86], evenisse, ut librarii passim notatum capitulum omnino prætermitterent. Quod eo facilius accidere potuit, ex quo sectiones *Ammonianæ*, ab *Eusebio* in decem canones digestæ, venerunt in codices, illarumque numerus juxta cum numero, canonis indice, in evangeliorum margine annotari consuevit. Quamquam enim *Millius* ad Marc. XVI. 8. & *Bengelius* (App. p. 516) controversam pericopen *Eusebii* canonibus inclusam dicunt: plures tamen codices, cel. *Birchio* teste (Prol. p. XXII), non exhibent nisi 233. sectiones Marci, quarum ultima ad v. 8. refertur. Jam alii qui-

86) v. cel. *Matthaei* p. 260. f. über den Zwek der evl. Gesch. Joh. p. 220. Sed alias quoque varietates e conjecturis των επι το ετοιμον καταφυγοντων, quæ *Victoris* Antiocheni formula est, consuevisse nasci, perill. *Michaelis* docet (Einl. in die Schriften des N. B. p. 295. ss. ed. 3. Zus. p. 83. f.).

quidem libri ad ſequentes etiam verſiculos apponunt numeros, usque ad numerum 241, verſiculo 20. appingi ſolitum, progredientes; ſed, obſervante *Eirchio* ad Marc. XVI. 8. p. 317. non appingunt hos numeros, niſi juniores codices, atque ut plurimum recentiori charactere. Verum alia quoque falſitatis indicia ſuppetunt. Nonnulli enim numeri, ut 236. & ſequentes, ne reperiuntur quidem in tabulis canonum *Euſebii*, alios vero, qui leguntur in tabula octava & decima, in hos canones non ab ipſo *Euſebio* incluſos, ſed ſerius illatos fuiſſe, res ipſa loquitur. Tametſi enim ſectio 235, quæ verſiculos 10. & 11. complectitur, ad tabulam 8 trahi potuiſſet, quia Lucas XXIV. 10. ſ. ſimilia narrat, præcedens tamen ſectio 234, quæ verſiculo 9. abſolvitur, non ad decimam tabulam pertinet, quæ ſingulorum evangeliſtarum proprias narrationes habet, ſed ad aliam, de qua adjungenda *Euſebius* omnino non cogitavit, quia locum hunc, *Marco cum Joanne* (XX. 14—17) *communem*, rejecit. Deinde *Ammonius* quoque, cujus partitionem *Euſebius* retinuit (v. *Millii* Prol. 739—741), Marcum, ipſo *Millio* fatente (Prol. 662), in 233. ſectiones, non plures, diſtribuit. Unde confici quidem non poteſt, clauſulam Marci controverſam ab *Ammonio*, qui verſiculum octavum *cum ſequentibus omnibus* ſectioni 233. includere potuit (v. *Millii* Prol. 663. 814), ſimiliter fuiſſe repudiatam; ſed *Euſebius* certe, ſi præter verſiculum 8. *etiam ſequentes* ad ſectionem 233. retuliſſet, hujus ſectionis non in *ſolo* canone *ſecundo* propter Matthæi (XXVIII. 8) & Lucæ (XXIV. 8. ſ.) narrationes, cum *octavo* Marci verſiculo conferen-

ferendas, ſed etiam in canone *ſexto* propter *verſiculos* 15. ſ. coll. Matth. XXVIII. 18. ſs. [87] mentionem facere, imo, quod vidimus, *noni* verſiculi cauſſa etiam *novum* canonem adjungere debuiſſet. Vere igitur ſcholion, quod in tribus codicibus repertum fuiſſe, ſupra (p. 51) diximus, *Euſebii* canonem in Marci verſiculo 8. ſubſiſtere perhibet. Unde mirum foret, ni plures etiam librarii in deſcribendo Marco ibidem ſubſtitiſſent, maxime cum ſequentibus verbis paſſim ſcholia viderent addita, quibus interpretum dubia de loco, contra Matthæum repugnare viſo, exponerentur. Quæ vero cauſſa inventorem canonum, harmoniæ evangelicæ ſervientium, eumdemque ſingularis etiam ſcripti *de evangeliorum diaphonia* auctorem, [88] ad clauſulam Marci damnandam [89] impulerit, poſt ea, quæ de veterum ærumna in Marci narratione v. 9. cum verbis: *ſero ſabbatorum* [90] (Matth. XXVIII. 1), concilianda ante diximus, vix poterit ambiguum eſſe. Cum igitur receptæ clauſulæ prætermiſſio per contextus ra-

87) Atqui ſectionem Matthæi 355, quæ c. XXVIII. 9. incipit, & cum ipſo evangelio finitur, in tabula *decima* collocavit, quod nihil ei apud *Marcum* aliosve evangeliſtas reſpondere putaret.

88) v. *Hieronymi* Catal. ſcript. eccleſ. voc. *Euſebius* (T. I. p. 190) & *Ebedieſu* in Catol. LL. eccleſ. c. XI. apud *Aſſemanum* Bibl. Or. T. III. P. I. p. 18.

89) Etiam in ſcholio, quod cel. *Matthaei* p. 269. protulit, *Euſebius* diſerte ait: κατα μαρκον μετα την αναστασιν (Jeſus) ου λεγεται ωφθαι τοις μαθηταις. Neque igitur comma 14. agnovit.

90) Proprium *Euſebii* in hæc ipſa verba ſermonem *Caveus* memorat.

vationem [91] ne poſſit quidem probabili teſtimonio niti, ſed per veterum indicia haud obſcura cauſſam ejus mera interpretum, in evangeliſtarum conſenſu declarando laborantium, conjectura attulerit: nihil relinquitur, quod locum revocet in dubium. Diverſa enim clauſula, quæ, uno duntaxat & altero codice (apud *Wetſtenium*) auctore, præter receptam alicubi item ferebatur, falſitatis tam manifeſta eſt (v. perill. *Michaelis* Erkl. der Auferſt. Geſch. p. 137. f.), ut non a Marco profectam, ſed ad lacunam, quam ſub exitum hujus evangelii ſeculo jam quarto in pluribus exemplis fuiſſe vidimus, utcunque explendam (cf. b. *Bengelii* App. p. 516) a nonnemine excogitatam fuiſſe liqueat. Cur vero authenticam clauſulam evangelii, quæ verſum 8 excipiebat, omnino intercidiſſe putemus, [92] nulla cauſſa apparet, quando *brevior* quidem lectio, e difficultate plenioris enata [93], ſed *alius* lectionis, quæ olim Marci evangelio cauſulam impoſuerit, nec veſtigium ullum aut fragmentum nec tenuiſſima quidem mentio apud veteres invenitur, tametſi complures, qui receptam clauſulam propter difficultatem ſuam expunxerunt, alius clauſulæ vel tenuiculum indicium, ſi quod vel e Marci codicibus antiquiſſimis vel e priſcorum ſcriptorum quacunque ſignificatione potuiſſet erui, cupidiſſime amplexuri fuiſſent. Quæ autem hodie

91) Etiam *Griesbachio*, Viro S. R. (Progr. Pentecoſt. 1790. p. 6. n. 5) omni veri ſpecie carere videtur, Marcum commate octavo verbis *εφοβαντο γαρ* librum finiviſſe.

92) cf. celeberr. *Griesbachium* l. c. p. 6. ſ.

93) cf. Ven. *Griesbachii* Præf. in. N. T. Vol. I. p. XIV. extr.

die in codicibus Marci plerisque leguntur, poſtrema evangelii verba tum a veterrimis interpretibus translata, tum ab *Irenæo*[95] (L. III. C. 10. §. 6), probabiliter etiam a *Celſo*[96], lecta fuerunt, tum etiam exquiſite apta ſunt ad contextum & perſonam Marci. Etenim verba πρωι πρωτη σαββατω v. 9. ad ſimilia v. 2. ſpectant, Jeſumque eodem tempore ſignificant reſurrexiſſe, quo mulieres in itinere fuerint ad ſepulcrum (cf. ad Matth. XXVIII. 1. p. 45); conſequentia vero, Mariam Magdalenam, de qua v. 9. *ſeparatim* exponi debebat, a comitatu (v. 1. ſ.), ad quem ſuperiora (v. 5-8) pertinebant, diſceſſiſſe (cf. v. 4. cum Jo. XX. 1. ſ. & perill. *Michaelis* l. c. p. 149. ſs), produnt, eaque ratione explicant, quid verſiculi 8. extrema verba, quæ *ſeorſum* ſpectata plurimum obſcuritatis haberent (l. c. p. 181), ſibi velint. Nempe *inter vias* (cf. l. c. p. 137) ante, quam ad ſe rediiſſent &

95) cf. *Grotium* (ad Marc. XVI. init.) & R. *Simonium* l. c. p. 122.

96) Quum Jeſu apud *Origenem* (L. II. c. *Celſum* §. 70. T. I. p. 292. 294) exprobrat, quod *uni tantum mulierculae* (ενι μονω γυναιω) ſuisque ſodalibus clam ſe vivum oſtenderit, vel *Marcum* XVI. 9. 12. 14. vel Joannem XX. 14. 19 ſs. reſpexit. Lucas enim de muliere, cui Jeſus εκ νεκρων αναστας παρεφαινετο, *nullam* prorſus mentionem habet, Matthæus vero, quod *Origenes* objicit, de *pluribus* commemorat (XXVIII. 1. 9). Atqui *Celſus* §. 50. p. 272. mulierem, quæ Jeſum ad vitam reverſum præter alios viderit, παροιστρον fuiſſe ſcribit, *quemadmodum ipſi christiani dicant.* Quod etiamſi *Origenes* (§. 60. p. 274) in ea hiſtoria, unde *Celſus* criminationum anſam capere ſoleat, h. e. (§. 59. p. 272) in evangelio ſcriptum extare neget, potuit tamen ex verbis *Marci* (XVI. 9): αφ' ης εκβεβληκει επτα δαιμονια, ſumtum vel arreptum eſſe. cf. Matth. XI. 18.

& propoſitum (Matth. XXVIII. 8) peragere (Luc. XXIV. 9. 23.) potuiſſent, altera Maria & Salome (Marc. XVI. 1) nemini quicquam narrarunt, quamvis una e comitibus, Maria Magdalena, cui, ſi per terrorem (v. 8) licuiſſet [97], certiſſime de viſo expoſiturae fuiſſent, obviam iis fieret (v. 9), cum repeteret ſepulcrum (Jo. XX. 11). Id ipſum haud dubie in Joannem quoque & *Petrum* valet, ad quos, ipſis pariter obvios (v. 3. ſs), nominatim vero ad alterum, mandata habebant (Marc. XVI. 7), quae vero, cum ſe nondum collegiſſent (v. 8), exequi non poterant. Verum Marcus, ut in hac clauſula (cf. etiam Luc. XXIV. 34. & cel. *Michaelis* p. 181. ſ.), ſic alias quoque multa, quae ad *Petrum* proprie pertinebant, niſi forte Petri *modeſtia* [98] obſtitit (Marc. VIII.

97) Ut Maria Magdalena, cum lapidem amotum videret (Marc. XVI. 1. 4. Jo. XX. 1), non cogitavit de ſepulcro intrando (v. 2), ita nec ceterae mulieres ſtatim ingreſſae, ſed de communi (cf. οἴδαμεν v. 2. & cel. *Michaelis* p. 152. ſs) ſolicitudine ſua, quam iſta cum Petro & Joanne communicandam putavit, aliquamdiu inter ſe collocutae fuiſſe videntur, dum tandem, ut fieri ſolet, incidiſſent in cogitationem ineundi ſepulcri (Marc. XVI. 5). Quo pacto Maria ad ſepulcrum revertiſſe poteſt, cum altera Maria & Salome prope a ſepulcro abeiſſent earumque ἔκστασις (v. 8) *recens* admodum eſſet. Atque ita fieri etiam potuit, ut *illa* Jeſum prope ſepulcrum (Jo. XX. 11. ſs) *prius* (Marc. XVI. 9) conſpiceret, quam ceterae abſolviſſent reditionem domum (Matth. XXVIII. 8—10).

98) Eidem hoc quoque tribuendum videtur, quod Petri diſcipulus, cum III. 14. ſ. dixiſſet, Jeſum *conſtituiſſe* duodecim, qui cum ipſo eſſent & mitterentur ab eo ad docendum cum facultate morbis medendi & daemonia ejiciendi, v. 16. non pergit, quemadmodum ſtructura v. 17—19. flagitabat, cum accuſativo δώδεκα v. 14. duodecim illo-

VIII. 32. ſ. XIV. 29. ſs. 37. 66. ſs. XVI. 7. cf. celeb. *Michaelis* p. 126. ſ.), ſilentio tranſire ſolet (VIII. 29. coll. Matth. XVI. 17. ſs. Marc. XI. 1. coll. Luc. XXII. 8. add. V. 3. ſs). Ceterum ea reſurrectionis Chriſti documenta legit (Marc. XVI. 9—11. & v. 12. ſ. coll. Jo. XX. 11—18. & Luc. XXIV. 13. ſs. [99]), quorum certe propter conjunctionem aliquam cum privatis ipſius rebus (Jo. XX. 2-11. 18. Luc. XXIV. 34) *in primis* meminiſſet *Petrus*, iisque addit conjunctam (Luc. XXIV. 36) ejusdem diei (πρωτης σαββατυ, qua Dominus reſurrexerat Marc. XVI. 9) hiſtoriam, cujus deſcriptio (v. 14), quamvis breviſſima, ad reliquam tamen Marci (cf. VIII. 17. ſs. VI. 52. 6. cum ωνειδισε την απιςιαν) ſeu Petri (cf. Act. X. 41. cum ανακειμενοις & Luc. XXIV. 41-43.) conſuetudinem accurate conſentit. Nec abhorret a ſenſu Petri vel dictorum (cf. λαλησαι Marc. XVI. 19) vel factorum delectus, quæ in extremo libro e reliqua Chriſti hiſtoria reperimus delibata (v. 15. ſ. coll. Act. X. 42. ſ. II. 38. IV. 11. ſ. 1 Petr. II. 6-8. I. 5. & Marc. XVI. 17. coll.

illorum nomina *per appoſitionem* jungens: σιμωνα, και επεθηκεν αυτω (cf. v. 17) ονομα πετρον, και ιακωβον &c. ſed Petrum, qui ceteris omnibus præponi debebat, quod *primus* (Matth. X. 2) a Domino conſtitutus eſſet, velut extra numerum appellat his verbis: „& impoſuerat (cf. Jo. I. 43. & über den Zwek Joh. p. 240) Simoni nomen Petri," deinde vero ſubjicit: „& (*præterea*, præter magiſtrum auctoris, *conſtituit*) Jacobum" Marcum vero ſcripſiſſe, ως πετρος υφηγησατο αυτω, *hiſtorica* argumentatione efficitur l. c. §. 56. quæ autem rationibus ex ipſo libro aſſerendis *confirmatur* omnino. v. etiam l. c. p. 271. ſ. Ven. *Heſſii* Geſch. und Schriften der Apoſtel T. II. p. 255. ſs. perill. *Michaelis* Einl. in die Schriften des N. B. p. 915.

99) v. laudatum *Michaelis* (Erkl. der Auferſt. Geſch. p. 217. ſ. 244. ſs).

coll. Act. II. 4-14. X. 46.ſs. & Marc. XVI. 19. ſ. coll. Act. II. 33-36. 1Petr. III. 22. Act. IV. 29—31. V. 42. VIII. 14-25. IX. 32). Cum igitur genuina ſint poſtrema Marci commata; mirari omnino fas eſſet [100], quid ſit; quod Marcus, qui XVI. 7. & XIV. 28. mentionem fecerat promiſſi, diſcipulos in Galilæa viſuros eſſe Dominum, prorſus ſileat de itinere in Galilæam, *ſiquidem* [101] *ob oculos habuiſſet Matthæum, apud quem* (XXVIII. 16) *legiſſet relatum*, diſcipulos, uti promiſſum fuerat, Chriſtum in Galilæa vidiſſe. Jam *Griesbachius*, Vir S. V. luculente quidem (Progr. 1789. p. 7. ſs) probavit, Marcum ita conſentire Matthæo & Lucæ, ut, *niſi alius evangeliſta lectus fuiſſet ab alio*, prodigio ſimile eſſet, Marcum in deligendo ex immenſa materia libelli argumento nonniſi eadem tractanda ſibi ſumſiſſe, quæ Matthæus etiam aut Lucas tractaverint (l. c. p. 12. ſ.), imo eamdem rem eodem ſæpe modo (l. c. p. 16. 5. not. 11) & loco & ordine, etiam ubi maxime fortuitus eſt ac arbitrarius (cf. Marc. VI. 17. ſs. cum Matth. XIV. 3. ſs), retuliſſe (l. c. p. 11. ſ.). Hinc vero nondum cogi poſſe videtur, Mar:

100) Celeberrimi Viri, *Griesbachius* (in Progr. pentecoſt. 1789. p. 11. Progr. 1790. p. 6) & *Michaelis* (l. c. p. 183), hactenus conſentiunt, ut inferius hoc concedendum eſſe agnoſcant, cum conceſſeris ſuperius. Ceterum dubitant de eo, quod primum in connexo eſt.

101) Sin ſecus, mirum videri non debet ſilentium Marci, cum alias quoque eventa, per occaſionem aliquam paucis indicata, præteriri videamus non a Joanne tantum (v. über den Zwek Joh. §. 52. maxime p. 243. ſ.), ſed a Luca quoque. v. XXIV. 2. (cf. perill. *Michaelis* l. c. p. 50). v. 24. 34. Act. I. 18. ſ. coll. Luc. XXII. ſ. itemque Act. XVI. 10. coll. *Michaelis* Einl. p. 923. ſ.

*Marci evangelium* totum *e Matthæi & Lucæ commentariis* decerptum esse, sed consensionis ratio *non minus* intelligitur [102]; si contra evenerit, *Lucasve & Matthæus* [103] inter scribendum pariter *ob oculos habuerint Marcum*, itaque in suum quisque librum quovis loco derivare potuerit e Marco, quicquid visum fuerit. Licebit igitur, *quod veritati & sinceritati clausulæ Marci consequens est*, sine dubio sumere, Marcum nempe nec locum de Christo a discipulis in Galilæa viso nec Matthæi librum universe, quippe serius exaratum, vidisse. Imo caussa ratioque, cur Matthæus & Lucas *tam multa* narraverint, quæ apud Marcum non leguntur, *multo facilius* perspicitur, si Marcus *prior* scripserit, quam si Matthæus & Lucas scribenti ad manum fuerint. Posteriores enim auctores, ne actum agerent, superioris scriptoris non verba solum & orationem hic illic variare [104], sed ipsas quoque res narratas augere [105] & [106] amplificare debuerunt, passim quoque, ut novis additamentis locum

102) v. über den Zwek Joh. p. 274. 293.

103) Matthæum aliquid e *Lucae* libro in suum transtulisse (v. celeberr. *Griesbachii* Progr. prius p. 4), in Notit. hist. epp. ad Cor. interpr. servientibus p. 84. disertissime negavimus.

104) cf. Progr. modo laudatum p. 5. n. 12.

105) Exempla vide l. c. p. 4. n. 5. 6. & über den Zwek Joh. p. 274. f. 288. f.

106) Exemplo sit Matthæus XIX. 28. XX. 1—16. XXIV. 30. init. coll. Marc. X. 29—31. XIII. 26. (Progr. cit. p. 16) Matth. XVII. 24. ss. coll. Marc. IX. 33. cf. quoque Matth. IV. 2—10. Luc. IV. 2—12. cum Marc. I. 12. 13.

locum facerent, circumcidere [107] & contrahere [108] potuerunt, maxime cum narrationes omiſſarum ſimiles de ſuo addidiſſent [109]. Nihil contra fuiſſe videtur, quod Marcus novum conficeret rerum Chriſti commentarium, ſi, præter tenue corollarium viginti circiter & quatuor commatum, Matthæi duntaxat Lucæque libros compilaſſet [110]. Neque etiam, ſi Marcus Lucam & Matthæum ante oculos poſitum habuiſſet, mirari non poſſemus, cur idem ille ſcriptor, qui non modo res a Chriſto geſtas, ſed complures quoque ſermones [111] (v. c. VIII. 34. — IX.

107) Velut hiſtoria Marc. VIII. 22—26. (Progr. cit. p. 14. ſ.), quæ auctoris magiſtrum, quippe cujus patriam (Jo. I. 45) ſpectaret, ſingulariter affecerat, nec a Matthæo nec a Luca repetita fuit. cf. über den Zwek Joh. p. 306. 275. Adde p. 294. 277. ſ. 297.

108) Veluti Matthæus, qui locum Marci III. 4. amplificaverat parabola XII. 11. afferenda, mox v. 15 ſ. longiora Marci verba III. 7—12. ad compendium contulit (cf. Progr. cit. p. 13. ſ.). Similiter Lucas IX. 25. omittit ſervatum a Matthæo (XVI. 26) verſiculum Marci (VIII. 37. cf. Progr. cit. p. 16). Adde l. c. p. 5. n. 10 13. 14. & quæ p 13. ſubjiciuntur, itemque librum über den Zwek Joh. p. 293. 275.

109) Vide l. c. p. 293—296. 305. 275. ſs. Eadem de cauſſa (cf. Matth. X. 32. ſ. XI. 10.) Matthæus XVI. 27. III. 3. præteriit Marci (VIII. 38. I. 2.) verba (cf. Progr. cit. p. 16. 13). De ſermonibus Chriſti Marc. IV. 26-29. XIII. 33—36. coll. Matth. XIII. 24—30. 36—43. XXIV. 36 — XXV. 46. hanc ipſam rationem etiam ſæpe laudatum Programma p. 9. ſ. 13. attulit, niſi quod Auctor eruditiſſimus a Marco *prætermiſſa* cenſet, quæ nos contra putamus a Matthæo demum addita fuiſſe Marco, & viciſſim a Marco *ſubſtituta* arbitratur, quæ nobis ſilentio præteriiſſe videtur Matthæus, quamvis in Marco reperta, cf. quoque Progr. cit. p. 7. i).

110) l. c. p. 6. 12. ſ.

111) cf. l. c. p. 4. n. 6. p. 10. aa).

IX. 1. 39. ss. X. 23. ss. XII. 1. ss), etiam longiores [112] (v. c. c. IV. XIII), etiam proxime pertinentes ad Palæstinenses Christi auditores [113] (v. c. II. 16—28. III. 22—30. VIII. 11. 12. [114] VI. 1—6. [115] 8—11. VII. 1—23. XII. 38—40), re vera exhibet, ab iis proprie dictis Christi, quæ Matth. V—VII. leguntur, ita refugerit, ut iis veluti fatigatus [116] non seponeret tantum Matthæi librum, sed Lucam quoque, ad quem novum ducem transiisset, ut primum in similia dicta (Luc. VI. 20. ss), sed breviora [117], & ab ipso Luca non Palæstinensibus, verum exteris tradita [118]), incidisset, pariter desereret & ad Matthæum se reciperet [119]), imo vel pauculos versiculos Matth. XII. 33—37. hac una de caussa, quod sententias his similes in oratione montana legisset, a suo libro rejiceret [120]). Extremo, si Marcus pri-

112) cf. l. c. p. 7. g). p. 10. Progr. 1790. p. 6. n. 4.

113) cf. Progr. 1789. p. 7. g). p. 4. 5. n. 7. 8. p. 8. o).

114) v. ipsum Progr. modo laudatum p. 8. o).

115) l. c. p. 7. h).

116) cf. l. c. p. 9. r). u).

117) Cum Marcus alias, brevitati serviturus, longiores orationes non prætereat omnino, sed contrahat & deminuat (v. c. IX. 42. ss. coll. Matth. XVIII. 6. ss. Marc. X. 28—31. coll. Matth. XIX. 27—XX. 16. Marc. XII. 38—40. coll. Matth. XXIII. Marc. XIII. coll. Matth. XXIV. s. Marc. VI. 8—11. coll. Matth. X. 5. ss): quidni etiam Lucæ narrationem, *per se breviorem* simili apud Matthæum sermone, *contractam certe* poterat exhibere?

118) v. über den Zwek Joh. p. 288.

119) v. Progr. cit. p. 7. f. not. g). l). m). & Progr. 1790. p. 9. not. ***

120) Progr. 1789. p. 8. n).

*primus* ſcripſerit, tum ea, quæ literis mandavit, vere, ut hiſtoria prodidit, familiari in ipſius ædibus (Act. XII. 12. ſs) *Petro accepta referre potuit*, tum vero Matthæum quoque & Lucam, a quibus nempe lectus & adhibitus fuit, ita conſentientes habere poteſt, ut, quamvis multa ſuo quisque modo, hoc eſt, aliter quam Marcus, narrarent & exprimerent, maxime vero, quod in immenſa illa παραλειπομενων copia expectare licebat [121]), nova complurima, alius alia, de ſuo adderent, creberrime tamen easdem ipſas res, quas literis conſignaverat Marcus, ipſi quoque, nec raro iisdem fere verbis uſi, memoriæ prodidiſſe intelligantur. Sin autem Marci liber *duobus reliquis poſterior* numeretur, prodigio ſimile omnino foret. Marcum ejusve ducem, ſi verſus excipias circiter 24, ex ampliſſima ſcribendi materia nihil aliud delegiſſe, quam quod Lucas & Matthæus prævertiſſent. Pleraque igitur omnia mutuatus fuerit oportet a Matthæo & Luca [122]). Sic vero [123]) Marci απομνημονευματα *Matthæo citius & Lucæ, quam Petro*, aſſignari debebant. Neque enim ſcripſit ως πετρος υφηγησατο αυτω, ſed Matthæum potius & Lucam duces habuit. Nobis vero certam & indubiam videri antiquam de *Petro* narrationem, ſupra (not. 98. p. 61) profeſſi ſumus

121) l. c. p. 12. ſ.

122) l. c. p. 4. 6. 12. ſ.

123) Si Marcus Luca duce uſus fuiſſet, quoties de Matthæi libro deceſſit, contraque Matthæo fere omnia deberet, quæ non ſumſiſſet a Luca (l. c. p. 4. 6. ſs): materiæ, quam Petrus ſuppeditaſſe queat, multo etiam minus relinqueretur, quam ſi Matthæum duntaxat vel Lucam ſolum habuiſſet ducem, cf. über den Zwek Joh. p. 288. ſ. 274.

ſumus, & opinionis noſtræ tanto minus nos pœnitet, quod ab ipſo etiam eruditiſſimo *Griesbachio* (in Progr. Pentecoſt. 1790) hiſtorica, quibus nitimur (not. 98), argumenta non labefieri, ſed intacta relinqui, & vetuſtam narrationem non alia de cauſſa (l. c. p. 12. 13. n. III. p. 5. n. 3) rejici videmus, quam quod hypotheſi repugnet, e ſola libri Marci comparatione cum Matthæo & Luca, ſed, quantum nos judicare poſſumus (cf. ſupra p. 63. ſ.), *nulla neceſſitate* & evidentia ductæ.

## LUC. II. 32.

Quibus tenebræ obductæ ſunt, ea *reteguntur*, dum *collustrantur* a lumine. Quum igitur Jeſus dicitur eſſe lumen ad *retegendos* (cf. ἀνακαλυφθῆναι Eſ. XLIX. 9) ethnicos, jacentes in tenebris (cf. Act. XXVI. 18. Rom. I. 21. Eph. IV. 18. V. 8. 11); *conſequente* poſito, *antecedens* ſignificatur, quod nimirum Jeſus eos luce ſua *illuſtraturus* ſit. Neque propterea conjecturam criticam probamus, allatam a *Jo. Pricæo*, quamvis alii interpretationi (ex 2 Cor. III. 14—16) ſerviente. Nam *retegendi* vis in verbo recepto ἀποκαλύπτειν non minus ineſt, quam in conjugato ἀνακαλύπτειν. v. Suſann. 32. 2 Sam. XXII. 16. coll. Pſ. XVIII. 16. Deut. XXVII. 20. coll. XXII. 30. Add. Job. XII. 22. ubi occulta tenebris in cod. Alex. ἀποκαλύπτεσθαι, in Vatic. ἀνακαλύπτεσθαι, h. e. *retegi*, dicuntur, & proferri in lucem (ἐξάγεσθαι εἰς φῶς). Ipſum nomen ἀποκαλύψεως Rom. VIII. 19. in eam partem accipitur, ut filii Dei, quorum glorioſa beatitudo (v. 18-21) ex conſpectu abdita fuerit (v. 24. Col. III. 3), *re-*

 *tegendi*

*tegendi* atque in ea luce collocandi esse dicantur, quæ, quanti sint pretii quantæque dignitatis, non sinat porro dubitare.

III. 16. Voculam πυρι non audemus ad *poenas* divinas cum perill. *Michaelis* ad Matth. III. 11. aliisque interpretibus trahere. Quamquam enim βαπτισμα de *calamitate* dicitur (Luc. XII. 50. Matth. XX. 22. f.), nulla tamen ratione probari potest, locis prolatis baptismum *ignis* respici, sed hebraica loquendi consuetudo (cf. *Goezium* ad v. 22) persuadet potius, mala subeunda comparari cum *undis*, quibus aliquis mergatur. Nec necesse est, ut Joannes Luc. III. 17. imaginem *ignis*, v. 16. extremo usurpari cœptam, dicatur *persequi*. Nam baptista nuncium (v. 18) de Christi, proxime prodituri, excellentia super ipsum (v. 15. f.) duabus his rationibus confirmavit, quod successor Christus non aqua duntaxat, quemadmodum ipse, sed Spiritu etiam sancto baptizaturus sit (v. 16), quodque non solum promulgaturus sit μετανοιαν, sicut ipse (v. 16. init. coll. v. 3. 7. 8. Act. XIII. 24), sed judex quoque futurus sit (Luc. III. 17) eorum, qui præconio μετανοιας (Matth. IV. 17) vel morigeros vel asperos se præbituri sint; harum vero rationum altera (Luc. III. 17) sic expressa est, ut imago adhibita ad *ignis* cogitationem *per se ipsa* deduxisset (cf. Matth. XIII. 30), etiamsi Luc. III. 16. non magis haberetur mentio de igne, quam versiculis, *nono* superioribus, de eo facta fuerat mentio. Nobis igitur baptista v. 16. cum Spiritus sancti nomine videtur conjunxisse nomen *externæ speciei* (σωματικῳ ειδει v. 22), quam ipsi innotuisse putamus ex eodem oracu-

oraculo divino, unde ſpeciem divini Spiritus ſe *viſurum* eſſe præſciſſet eaque ipſa *nota* Chriſtum dignoſcere didiciſſet (Joh. I. 33). Et probabile omnino videtur, apoſtolis, quo facilius deprehenderent, ad continuandam magiſtri doctrinam ſe *eodem*, atque ipſum (cf. Luc. IV. 14. Act. X. 38), Spiritu inſtructos eſſe, *ſimilem* quoque, *ac Domino*, viſam fuiſſe *ſpeciem*, cum Joannis prædictum (Luc. III. 16) eveniret (Act. I. 5). Atqui ſpecies, quæ II. 3. viſæ fuerunt & quarum ſingulæ conſederunt [124] ſuper ſingulos *apoſtolorum*, fuerunt *igneæ*. Neque igitur incredibile fuerit, conſpicuam notam, qua *Chriſtum* baptiſta diſcernere debuerit, fuiſſe *ignem* (Luc. III. 16), perniciter (*ὡσει περιστεραν* v. 22. [125]) de cœlo delatum, ſed, quo diligentius ac certius cognoſci poſſet a Joanne, commoratum aliquamdiu ſuper Jeſu (Jo. I. 32. ſ.).

VI. 30. ſ. *Prima* enunciatio jubet *omnibus* petentibus dare, *non amicis modo*, *ſed inimicis quoque* (v. 27. ſ. 32. ſ. 35). *Altera* (v. 30) potiſſimum reſpicere videtur *creditores*, quibus debitor, niſi reddat mutuo ſumta, aufert ac eripit ſua. Neque enim Matthæus ſolum V. 42. cum priore ſententia copulat locum de *mutuo*, ſed apud Lucam ipſum mox verſiculo 34, qui, cum præcedentes

32.

124) *Singularis* *ἐκαθισε*, ſpectans ad *pluralem* *γλωσσαι*, *diſtributionis* index eſt. cf. Notit. hiſt. epp. ad Cor. not. 153. p. 78. & Ven. *Schnurreri* Diſſertt. philologico-crit. p. 267.

125) cf. *Bocharti* Hierozoic. P. II. p. 13. ſs.

32. & 33. ferviissent *primæ* enunciationi (v. 30) explicandæ [126], omnino ad *alteram* (v. 30) sententiam illustrandam pertinet, hoc proprie ostenditur, nullam iis a Deo gratiam referri (cf. *Elsnerum*, *Krebsium* & celeb. *Loesnerum* ad v. 32), nec præclarum aut singulare aliquid præstare eos, qui *mutuum* dent iis tantum [127], unde summam creditam se recepturos esse confidant. Deinde v. 35. ubi eorum (v. 30), quæ adhuc (v. 32—34) latius exposita fuerant, summa repetitur, tum de bonitate erga inimicos sermo est, tum de liberalitate, iis etiam *credente*, a quibus rem tuam

126) Virtus, v. 27. f. commendata, cernitur duabus rebus, *primum* injuriæ alienæ patientia tuæque fuga ea, ut & novam citius injuriam accipias, quam ut tibi impositam injuria vicissim facienda rependas, & duritiem alterius eo animo feras, qui, si mitigare adversarium nequeas, nisi cedas de beneficio juris, vel summi juris usum, quem legum æquitate munitus defendere poteras, malis pati, quam summo rigori juris, invito altero, non satisfacere (cf. ad Matth. V. 40); *deinde* ipsa adeo beneficentia erga hostem. *Prius* illud tractatur Luc. VI. 29. *Posterius* v. 30. proponitur, sed ita, ut per occasionem beneficentiæ, ab amore *hostium* manantis (cf. v. 35), de liberalitate *in universum* præcipiatur, quæ non solo *donationis* nomine, sed etiam *mutui* titulo donat. Jam hæc duo, quæ v. 30. proponuntur & quorum peroratio v. 35. legitur, quod nimirum *omnes*, nec hostibus exceptis, donandi sint, quodque etiam *mutua* condonanda sint, v. 32. f. & 34. tractantur.

127) Vocula μονον ad verbum δανειζητε v. 34. non minus intelligenda est, quam ad αγαπατε & αγαθοποιητε v. 32. f. cf. Matth. V. 46. cum v. 47. & Ebr. VII. 8. f). Neque enim Christus vetat mutuum dari, quod confidas te recepturum esse (cf. b. *Bengelium* ad δανειζετε Luc. VI. 35); sed nulla hoc actu singularis virtus cernitur, neque, si nihil ultra præstes, illius δικαιοσυνης documenta das, quæ requiritur in divino regno (cf. v. 32—34. extr. Matth. V. 46. ss. VI. 7. 32. cum V. 20. VII. 13. f.).

tuam desperes te recuperaturum esse (cf. *Krebsium* & *Loesnerum*). *Tertia* denique sententia (v. 31) regulam ponit, ad quam praecepta superiora (v. 30), si usus veniat, exigenda sint. Quoties tu, si petentis aut mutuati loco esses, rebus hinc implorati & creditoris, hinc petentis ac debitoris, ex æquo perpensis, vel petiti vel debiti condonationem expectare posses: toties petitioni non negare & debitum non repetere debes.

IX. 60. Uti vox νεκρὸ interdum *præterito* tempore intelligenda est (Comm. in ep. ad Ebr. p. 518); ita potest etiam *futuri* temporis esse (Obss. p. 133. f.) eumque dicere, qui mortuus *erit*, *moriturum* (l. c. p. 135 f.), *mortalem*. Veluti σωμα νεκρον est corpus *mortale* apud Paullum (Rom. VIII. 10. cf. Diss. de beata vita post mortem not. 34) & *Philonem* (L. II. leg. alleg. p. 74). Caussa vero, quamobrem Dominus eos, qui sepelire possint discipuli parentem, hoc potius quam alio nomine appellaverit, in disjuncto sita est, quod intelligendo adjungi debet. Sepelire mortuos *mortalium* est, qui mox ipsi sepelientur, sed regnum divinum, h. e. (Jo. VIII. 51. XI. 26. VI. 47—51. 58) *mortis exilium*, prædicare multo optabilius officium est. Similiter Matth. VIII. 22. verbis Christi hæc vis subjecta videtur: „*mortalium* illud negotium, funus mortuo faciendi & exequias funeris prosequendi, aliis facile permittere poteris, si prosequi liceat eum, qui, quamvis inter mortales possessionem non habeat (v. 20), *tanto majorem inter immortales locum obtinet*, suisque auctor est cum resurrectionis, dum corpus, quod mortales sepeliverunt, nova, eadem-

eademque meliore, vita donabit, tum perennis omnino vitæ (Jo. XI. 25. f.), quam ipsa mors interpellare non possit, sed perficiat atque amplificet (Rom. VIII. 10)."

XI. 47. f. Cum legis peritis *propterea* minetur Jesus (v. 47), *quod sepulcra prophetarum struant*, hincque cogatur (cf. *αρα* v. 48), laudari (cf. Joh. III. 26. Ebr. XI. 2. y.) & *Kypke* in Luc. IV. 22) ab istis & approbari facta majorum, hos enim occidisse prophetas, ipsos vero *sepulcra eorum struere*: illud *οικοδομειν τα μνημεια των προφητων* in vitio fuerit oportet. Neque igitur hoc proprie agitur, ut legis periti sepulcra *veterum* prophetarum exstruxisse (cf. Matth. XXIII. 29. cum 1 Macc. XIII. 27-30) variumque iis honorem habuisse (cf. *Kypke* in Matth. l. c.) dicantur, in quo nec materia pœnæ nec priscarum cædium approbatio fuit; sed *æquales* prophetæ intelligendi videntur, quibus legis periti insidias struxerunt necemque machinati sunt (Luc. XI. 49), itaque majorum in veteres prophetas maleficia similibus sceleribus faciendis probarunt (v. 48) pœnamque gravissimam meruerunt (v. 47. 50. f.). Neque miramur, quod pronomen *αυτες* v. 47. paullo aliter (cf. Ebr. VI. 19. a) accipiendum sit, quam nomen *των προφητων*, & *iidem utrobique* prophetæ nec Luc. XI. 47. nec v. 48. intelligi possint. Similiter 1 Tim. II. nomen *της γυναικος* v. 14. *Evam*, sed relativum pronomen, quod in verbo *σωθησεται* v. 15. latet, *aliorum temporum* æquales mulieres significat. Prophetarum vero sepulcra strui aut parari dicuntur item, ut Job. XVII. 1. *sepulcrum ei esse* legimus, cui

mors

mors imminet. Neque tamen Dominus hac proprie formula dicendi usurus fuisse videtur, nisi ambiguae locutionis notiori significatui alludere simul voluisset, & hoc dixisset: „vos quidem majoribus meliores vobis videmini (Matth. XXIII. 30): quod *sepulcris exstruendis ac ornandis* prophetae a vobis honorentur, isti contra prophetas interfecerint. Sed vae vobis hoc ipso nomine (v. 29. Luc. XI. 47). Nam *simulate* (Matth. XXIII. 29) agitis, quod laudi vobis ducitur, atque prophetarum, a majoribus interemtorum, *sepulcra sic* (Luc. XI. 48. *αϱα*) *exstruitis* (v. 47), *ut* majorum facinora probetis, quique veterum prophetarum sepulcra exstruitis, iidem vobis aequalium *prophetarum sepulcra instruatis* atque paretis. Nam hoc unum inter majores vestros & vos ipsos interest, ut illi prophetas interfecerint, vos vero, quamvis antiquorum prophetarum *sepulcra exstruatis*, aequalium vestrorum *sepulcra praeparetis*, mortemque, quam majores vestri intulerunt & patrarunt, prophetis moliamini & intentetis (v. 48).„ Similiter Matth. XXIII. 31. vocis *υιων duplex* vis respicitur, nec *posteri* tantum, sed *moribus* quoque *similes* (cf. Jo. VIII. 39) majorum intelliguntur: „itaque fatemini, quod progenies sitis eorum, qui prophetas occiderint, h. e. quod sitis *prognati* (cf. Matth. XXIII. 30) ex talibus majoribus; imo vero homicidarum, prophetis exitiosorum (v. 31), *familia* (*γεννηματα εχιδνων*), *prophetis non minus pestifera* (*οφεις* v. 33), sed *incepta a majoribus* usque ad extremum *exequens* (v. 32).„ Ceterum alia quoque *ambiguitatis* verborum arreptae exempla dedimus in Diss. de sensu vocis *δικαιος* p. 40. s.

XVII. 4. Fieri omnino posse, ut, quem peccati *vere* poenituerit (v. 3), *eodem die pluries* (ἑπτάκις τῆς ἡμέρας, cf. Ps. CXIX. 164) in eadem aliave re, praeceps affectu latus, in alterum peccet, seque continuo ipse revocet, haud ita incredibile videbitur (cf. perill. *Michaelis* ad v. 4. p. 465. & Zus. der vierten Ausg. von der Einl. in das N. T. p. 241. f.), si peccanti cum altero *necessitudinem* aliquam ex eaque commercium *assiduum* esse ponamus. Atqui Christo *conjugalis necessitas* familiaritasque potissimum ob oculos versata fuisse videtur (v. über den Zwek Joh. p. 341—343), quae ipsa non tam crebro ac temerario divortio (Luc. XVI. 18) inter Judaeos fuisset dissoluta, si modo in offensionis & offensiunculae tanta materia & frequentia una pars ad resipiscendum, altera ad condonandum paratior promtiorque fuisset. Quae Supplementorum citatorum loco indicato [128] pariter cum verbis τῆς ἡμέρας in suspicionem vocatur,

XIX. 13. extans, vocula μνᾶς, non minori jure defendi potest. Neque enim *tota gaza* [129] ad decem minas rediisse dicitur, sed ea tantum summa, quae his proprie ministris concredita fuit. Ipse celeberrimus *Michaelis*, qui vocem masculinam מָנֶה (מָנֵי) pro feminina מָנָא (מָנְתָא) arreptam putat ideoque

128) Vide etiam perill. Viri Anm. für Ungelehrte zu seiner Uebers. des N. T. P. I. p. 475. f.

129) cf. Zus. p. 242. Anm. p. 475.

que decem *portiones* [130], non decem *minas* intelligi vult, ſalva interpolatione ſua, poterat concedere, decem miniſtrorum fidei *partem* duntaxat gazæ commiſſam fuiſſe. Nam *portiones decem* non neceſſario ſunt *regia pecunia, in decem partes diſtributa* (Anm. p. 476), ſed facilius etiam intelligi poſſunt *decem portiones regiæ pecuniæ* (zehn Theile ſeines Vermögens. Zuſæze p. 242). Quid vero obſtet, quo minus hæc *particula* regiæ pecuniæ, decem miniſtris diſpertita, *decem tantum minas* confeciſſe poſſit, haud perſpicimus. Qui fingitur, rex (v. 12. 14. 27) neque *omnia*, quæ habebat in nummis, fenore (v. 13. 15. 23) putandus eſt occupaſſe, neque totam, quæ menſariis locanda erat, ſummam *parti* [131] miniſtrorum, & ei quidem parti, cujus fidem *experiri* demum volebat (v. 15), tradidiſſe. Qui fidem probaturi erant, iis *plura poſthac* crediturus erat (v. 26). Velut ei, cujus fides (v. 17) ſpectatiſſima fuerat, tum decem minæ, quas acquiſiverat ad ſingularem (v. 16), ipſi pariter ac ceteris initio creditam (v. 13), &, reduce domino, ſolis infidelibus ereptam (v. 24. 26), adminiſtrandæ relinquebantur (v. 25), tum

130) Quam parum hæc ſuſpicio conveniat in parabolam, a Domino narratam, e verſiculis 16. 18. 20. intelligitur, quibus profecto non apta eſt formula: *portio tua.* Quod ſi enim *portio* appellari debuit, dicendum erat: vel *tuae pecuniae* vel *mea* portio. Unde etiam Vir celeb. in verſione germanica *ſortis*, pecuniæve, fenori datæ, notionem ſuppoſuit, quæ verbo מנחא ſubjecta non eſt.

131) Decem iſtos v. 13. non fuiſſe niſi *partem* (cf. v. 15) miniſtrorum, nec celeb. *Michaelis* infitiatur. Vertit enim v. 13. „zehn *von* ſeinen Knechten. „

tum vacantis (v. 20. 23) minæ (v. 24) & decem civitatum (v. 17) cura insuper demandabatur.

XIX. 26. Verba hæc *regis* esse, quem parabola inducit, non *Christi*, e versu 27. coll. 14. intelligitur. Itaque formula: ειπε ο ευγενης, post voculam υμιν (v. 26) similiter omissa est (cf. Philem. 19. not. 165. p. 54), ac Luc. VII. 41. initio desunt verba: ο δε (ιησους) ειπε, quæ, etiamsi non profecta fuerint a Luca, sensus tamen ratione habita, exprimi &, veterum interpretum exemplo, suppleri possunt.

XXI. 25. Συνοχη εθνων εν απορια ηχουσης (seu ηχους) θαλασσης και σαλου videtur esse afflictatio (cf. XII. 50. & *Raphelium* ex Herodot. in Matth. IV. 24) gentium, conjuncta cum (cf. εν Eph. VI. 2. V. 26. Diss. de sensu vocis δικαιος not. 22) inopia consilii (v. *Raphelium* ex Herodot. in l. n.), qualis est inopia consilii propter [132] sonans mare & (sonantes) fluctus [133], aut, si alteram lectionem sequi malis, propter strepitum maris & fluctuum [134], h. e. animi gentium perturbati erunt, quemadmodum, tempestate coorta, navigantes laborare solent inopia consilii.

132) cf. genitivos αυτε Matth. XXVIII. 4. XIII. 44. Obss. p. 278.

133) Mare ejusque fluctus conjunguntur etiam Ps. LXV. 8. cf. *Kypke* in l. n. p. 319. Genus autem participii ηχουσης sequitur nomen *proximus*. cf. Ebr. VIII. 2. m). Eph. V. 19. Col. III. 16.

134) Σαλε, quemadmodum θαλασσης & Ps. LXV. 8. κυματων, ex voce ηχους, de qua *Bengelii* App. crit. p. 546. consulendus est, pendere potest. Sed licet etiam vertere: *propter strepitum maris & commotionem*, cf. de voce σαλε *Wetstenium* & cel. *Lasnerum*.

filii. Quod autem *perturbatio propter strepitum maris* significare possit perturbationem, *similem ejus, quae existit* propter maris tumultum, vel ex Matth. XII. 39. Luc. XI. 29. intelligitur, ubi *miraculum Jonae* non est miraculum, quod Jonas (v. 30) fuisset, sive quod in Jona editum fuisset, sed miraculum, quod debebat in Jesu extare (v. 30), at *simile* futurum erat *edito in Jona* (Matth. XII. 40). cf. Ebr. XI. 26. c). & *Vatablum* in l. n.

XXIII. 32. *Bengelii* & *Kypkii* structura, quae post vocem ετεροι comma ponit, simili loco X. 1. firmatur, ubi pariter vertendum est: „elegit (cf. *Kypke*) Dominus etiam *alios, nempe septuaginta.*" Neque enim ceteri homines, quos Dominus item, ut hos LXX. (cf. και ante ετερες), elegerat (VI. 13) & miserat (IX. 1. ss.), *septuaginta* numero, sed *duodecim* erant. Similiter nostro loco maleficis hominibus nequaquam adnumeratur Jesus, sed perinde, ut ipse, etiam *alii, nempe duo malefici*, educti fuisse perhibentur, ut cum eo tollerentur de medio.

XXIV. 1—12. Cum mulieres magno numero (v. 1. coll. XXIII. 55. f. & XXIV. 10) ad sepulcrum profectae essent (ηλθον v. 1. cf. p. 44); fieri omnino potest, ut pars narrationis (v. 3—8) ad *partem* duntaxat sociarum viae pertineat, quemadmodum ea, quae Marcus XVI. 5-8. & Matthaeus XXVIII. 5—10. referunt, non (p. 59) ad Mariam Magdalenam (v. 1. Marc. XVI. 1), sed apud Marcum ad *alteram duntaxat Mariam & Salomen*, apud Mat-

 thaeum

thæum *ad illam solam* [135] ſpectant. Similiter apud ipſum Lucam Act. XVI. 13. *καθισαντες ἐλαλουμεν* non ad comites apoſtoli, quemadmodum ſuperiores plurales (v. 12. f.), ſed ad *unum ſolum Paullum* (v. 14), & *ἀπελυθησαν* XV. 33. non ad Silam (v. 32), ſed ad *Judam ſolum* pertinet; niſi forte rejicitur verſiculus 34, Silasque *Hieroſolymis* Antiochiam *revertiſſe* (cf. v. 40) videtur. Licet ergo Magdalena & altera Maria in comitatu, quem Lucas XXIV. 1. deſcribit, haud dubie fuerint (v. 10): ea tamen, quæ v. 3—8. legimus, neque ad Magdalenam (cf. Jo. XX. 10—17), neque ad alteram Mariam (cf. Marc. XVI. 5—8. Matth. XXVIII. 5—8) referri neceſſe eſt; ſed Lucas ſequi potuit [136] narrationem Joannæ (XXIV. 10. coll. VIII. 3), quæ *ſuam* & aliarum forte nonnullarum hiſtoriam evangeliſtæ, in Palæſtina verſanti (cf. über den Zwek Joh. p. 271), coram ipſa expoſuiſſet (l. 3). Maria Magdalena, ubi primum intellexit, lapidem a ſepulcro remotum eſſe (XXIV. 2), de reliquo cœtu (v. 1. 10) receſſit (Jo. XX. 1. 2), & de omnibus rebus, a Luca XXIV. 2—8. expoſitis, hanc partem (v. 2) nunciavit (v. 9. f.), amotum eſſe ſaxum & (v. 23. init. Jo. XX. 2) corpus Domini. Petro (Luc. XXIV. 12 [137]) & Joanne (cf. *τινες* v. 24. &

135) cf. quoque Matth. XXVII. 44. cum Luc. XXIII. 39. & S. V. *Daderlemii* Fragm. und Antifragm. P. I. p. 257. f.

136) v. perill. *Michaelis* Erkl der Auferſt. geſch. p. 146. f.

137) Cum de Petri itinere *per occaſionem* torporis apoſtolorum (v. 11), qui ceterum non obſtiterit, quo minus ſpectatum certe Petrus exiret, *non ex chronologico ordine*, mentio fiat (v. 12): *ἐδραμεν* omnino in *plusquamperfecto* accipi poteſt. cf. Marc. III. 16. p. 61. not. 98.

& Jo. XX. 3) ad sepulcum tendentibus, e feminis, prope sepulcrum hæsitantibus (not. 97), altera tandem Maria & Salome sepulcrum intrare sunt ausæ (Marc. XVI. 5), sed angelum, qui lapidem removerat, conspicatis (Matth. XXVIII. 2—5) intra sepulcrum (v. 6. 8. Marc. XVI. 5 [138]) tantus incidit terror, ut profugæ nemini quicquam aperirent (Marc. XVI. 8), nec Joannæ ceterisque feminis, quæ foris ad sepulcrum adessent, nec adventanti Petro ac Joanni, nec pone sequenti Mariæ Magdalenæ (p. 60). Ceterum Joanna & reliquæ comites, ut ex Petro & Joanne, paullo post ad sepulcrum pervenientibus, audiverunt, sepulcrum, quod Joannes, fuga Mariæ & Salomes territus, principio non auderet ingredi (Jo. XX. 5), tuto posse iniri (v. 6—8), ipsæ tandem etiam ingressæ sunt in sepulcrum (Luc. XXIV. 3), ibique, cum penderent animis, quid de vacuefacto sepulcro & de Salomes sociæque metu existimandum esset, duos angelos conspexerunt (v. 4—8), quos, istis mulieribus a sepulcro digressis (v. 9), reversa interim Maria Magdalena, cum prospiceret in sepulcrum, pariter vidit (Jo. XX. 11—13). Joanna vero & comites, Petrum atque Joannem, quos modo in sepulcrum præeuntes, sed nihil tale expertos viderant, mox persecutæ, nuncium de angelis visis *primæ* attulerunt, Salomenque igitur & sociam præcurrerunt, quæ, tametsi a sepulcro celeriter effugerunt (Matth. XXVIII. 8. Marc. XVI. 8), postea ta-

138) v. celeb. *Michaelis* p. 117.

tamen, dum reciperent animum, tardius motæ & longius moratæ fuiſſe videntur. Cum certe duo iſti (Luc. XXIV. 13) Hieroſolymis abirent, de angelis viſis nuncius apportatus fuerat (v. 23. extr. coll. v. 4—10), de ipſius Domini viſione (Matth. XXVIII. 9. 10) non item, quamvis mirarentur diſcipuli Jeſu, cur Petrus & Joannes, qui ante Joannam introierant in ſepulcrum, hoc quidem a corpore Domini, quemadmodum Maria Magdalena nuntiaverat, vacuum deprehenderint, ſed *Dominum ipſum* minime viderint (Luc. XXIV. 24), *quem tamen vivere oporteret*, ſi verus eſſet (cf. v. 11) nuncius, a Joanna ceterisque latus, quæ non modo referrent, corpus Jeſu inventum non eſſe, quod apoſtolorum teſtimonio firmatum fuerit (v. 24), ſed dicerent præterea (v. 23), ſe vidiſſe angelos, qui *viventem* Jeſum prædicaſſent. Quoniam vero Lucas e Marco (XVI. 1. 5—7.) intellexit (p. 63. ſs.), diſcipulos Jeſu etiam a Maria, Jacobi matre, de angelico præconio vitæ Jeſu nuncium accepiſſe, & Mariam quoque Magdalenam (v. 1) de angelis a ſe viſis (Jo. XX. 12. ſ) nuntium tuliſſe (v. 18. Marc. XVI. 10. ſ.), inter omnes conſtabat: huc etiam ſpectare potuit Lucas XXIV. 9—11. tametſi viſionis angelicæ ſingula momenta apud Magdalenam & alteram Mariam alia fuerunt, atque apud Joannam, cujus narrationem Lucas v. 3—8. proprie expoſuerat. Satis habeamus, *rem ipſam*, quæ a pluribus teſtibus narrata fuerit, ſed apud diſcipulos Jeſu nullam fidem habuerit (v. 9—11), undique eandem eſſe, & ſpectare eodem, quo Lucas ipſe (v. 23) omnia re-

refert, h. e. corpus Jesu ab omnibus in sepulcro desideratum (v. 2. f.); & ab omnibus unum (cf. Ebr. XI. 35. h) pluresve angelos visos fuisse, qui Jesum vivere perhiberent (Luc. XXIV. 4—7). *Singula* vero ejus, quod caput est, *momenta* (v. 3—7. coll. Jo. XX. 11—13. & Luc. XXIV. 4. coll. Matth. XXVIII. 5. Marc. XVI. 5) in historia, quae ad *plures* pertinet, non continuo cum singulis, quos res ipsa, sed varie attigit, communicari, verum certae parti, ut Joannae & aliis forte quibusdam mulieribus, a Magdalena & altera Maria & Salome diversis, propria esse posse, supra (p. 77. f.) ostendimus.

## JOH. I. 52.

*Caelum apertum* & *angelorum ministeria* significant omnino magnitudinis (v. 50) Jesu illustria documenta (v. 51), primum illud (v. 49), quod Nathanaëlis animum tam valide affecerat, deinceps secuta (v. 51), h. e. miraculorum paullo post (cf. απ'αρτι v. 52) exorsam (II. 11) seriem. Caussa vero, quamobrem pro miraculorum *generali* nomine quaedam potius *formae* (cf. Ebr. XIII. 2. l) miraculorum, & *hae* quidem *proprie* miraculorum species, appellentur, in superiore Christi historia (Marc. I. 10. 13), quam Joannes more suo (cf. über den Zwek Joh. §. 52. 53) ex antiquioribus evangeliis cognitam sumit, reperiri videtur. Quum Jesus haec verba faceret, non illud duntaxat miraculum, quod Nathanaëli persuaserat, Jesum esse filium Dei

 (Jo.

(Jo. I. 49—51), ſed majora, eaque talia (Matth. III. 16. IV. 11), qualia verborum, loco noſtro *ſynecdochice* (cf. Obſſ. p. 9) uſurpatorum, *propria* vis ſignificat, hoc ipſum, quod Jeſus ſit Dei filius, confirmaverant (III. 17. Joh. I. 34), & contra dubitationem iniquam (Matth. IV. 3. 6) defenderant (v. 11). Hæc igitur recentia voluntatis paternæ erga Jeſum ſpecimina, quamvis non fuiſſent a diſcipulis conſpecta, magiſtro tamen ſic ante oculos obverſabantur, ut præſenti magnitudinis ſuæ documento (Jo. I. 49) ampliora, quæ deinceps expectaret (v. 51), ſpecimina vocabulis, ad præterita, quæ in animo verſabantur, ſpecimina convenientibus, appellaret (v. 52), talia prædicturus & tanta miracula (cf. V. 36), quæ magnifico principio (v. 37. coll. Marc. I. 10. f. add. v. 13) digna futura, hujusque ipſius fidem factura ſint diſcipulis, ut animo ſaltem videant, quod oculis cernere ac videre non potuerint, ſed a baptiſta acceperint (cf. Jo. I. 32—34), vel ab ipſo Jeſu audituri eſſent, cœlum ipſi apertum & angelos miniſtros fuiſſe.

IV. 48. Vox *Hieroſolymis*, aliave ſimilis dictio, v. c. *in Judæa*, quamvis e contextu (v. 45. 47) repetita ſit, parum tamen commode ad verbum *ἰδητε intelligendo* adjungi, ſed omnino *exprimenda fuiſſe* videtur, ſi Chriſtus hoc ſibi voluiſſet, quod ſuſpicati fuimus in libro über den Zwek Joh. p. 42. Verti-

timus ergo: „nisi miracula *jamiam* [139] *videritis*, non credetis (ea, cf. Luc. VI. 29. not. 41), non prius creditis miracula, quam oculis ea videritis, non creditis nisi visa"; aut, si verbum *πιστεύειν* similiter accipere malis, atque Joh. IV, 53. 41. s. coll. 39. haec erit sententia: „non *mihi* confidetis ante, quam *videritis* miracula." Hoc posito, regii fiducia (v. 47) in eo, quod suspensa tenebatur, dum filius *esset sanus factus*, & metu aliquo perturbabatur (v. 49), ne curatio perfici non posset, reprehensa (v. 48), eoque tandem deducta fuit a Domino, ut parens crederet miraculum (v. 50), quamvis *nondum cerneret*. (cf. b. *Bengelii* Gnom.). Eandem fiduciam, quae virtuti, *e superioribus miraculis* Jesu (cf. v. 45) perspectae, in caussa nova item confideret, ut si miraculum *jam fuisset patratum* oculisque subjectum, alias quoque desideravit Dominus (VI. 5. s. Marc. VIII. 17—21), raramque (Matth. VIII. 10. [140]) fidem, sicubi invenit (v. 8. s.), miratus est ac vehementer laudavit. Fidem, quae *miraculis* Christi niteretur, l. n. *universe* [141] notatam a Domino & despectam fuisse,

139) *Praeteritum* tempus in verbo *ἴδητε pressius* intelligendum est. (cf. Ebr. VI. 3. d).

140) Quam late (cf. secundam *pluralem* Jo. IV. 48) vitium regii patuerit, ex eo maxime intelligitur, quod ad ipsos etiam apostolos, eosque dudum cum Christo versatos, pertinuit (VI. 7—9. Marc. VI. 49—52. VIII. 16—21. Joh. XX. 25. 29).

141) cf. Ven. *Laeffleri* Predigten p. 227. Neque magis ad rem pertinet alius locus (Marc. VIII. 11. s.), p. 228. prolatus. Tantum enim



ab-

ſe, vel ſolus locus Jo. XV. 24. refutat, qui doctrinæ Jeſu (v. 22) miracula tanquam *neceſſarium* firmamentum adjungit, cujus abſentia fidem Chriſto negatam & doctoris auctoritatem repudiatam excuſatura eſſet (cf. X. 37). Et lectiſſimi (cf. I. 48) quique diſcipuli Jeſu *hoc argumento*, probante magiſtro (v. 51. ſ.), tum ipſi ducebantur (v. 49—51. II. 11. cf. über den Zwek Joh. p. 14. ſ.), tum ſuos quoque diſcipulos & lectores moveri volebant (XX. 31. cf. l. c. §. 7. 8.).

VIII. 35.

---

abſuit, ut Jeſus *propter miracula* fidem ſibi nollet haberi (Jo. X. 25. 38. XIV. 11), ut potius in hoc ipſo (Matth. XI. 20—24. cf. Jo. XII. 37) æqualium ſtuporem & pervicaciam indignabundus (Marc. VIII. 12) reprehenderet, quod poſt tot ac tanta miracula, quæ in eodem congreſſu cum Phariſæis (v. 11. coll. Matth. XVI. 1) confirmavit luculenta inſignis hujus temporis (των καιρων, cf. Notit. hiſt. epp. ad Cor. not. 140), ſive temporum Meſſiæ indicia eſſe (v. 3. cf. quoque Matth. XII. 28. XI. 3—5), ipſius tamen dictis nullam fidem adjungerent, ſed, tanquam ſi prægreſſis miraculis nihil probatum dediſſet, eave nomen miraculorum, ſeu (Joh. VI. 26. 30) documentorum miſſionis ipſius divinæ (v. 29), haud mererentur, poſtularent demum miracula (v. 30. Matth. XII. 38), quæ, cum ſuperiora pro nihilo duxiſſent, *alius* generis (XVI. 1. Marc. VIII. 11) eſſe deberent. Atqui *talia* (v. 11. cf. etiam Luc. XI. 29. cum 16) miracula negat (Marc. VIII. 12) a ſe nunc editum iri, quamvis poſt mortem ipſius, & in ipſo, novum quoque miraculorum genus extiturum ſit (Matth. XVI. 4. coll. XII. 39. ſ. Luc. XI. 29. ſ.) Si nulla in miraculis Jeſu ad divinam ejus miſſionem confirmandam vis aut evidentia fuiſſet, nec injuria miraculis univerſe diffideremus (cf. S. V. *Læfflerum* p. 229); quo tandem jure ii proprie (Marc. III. 30) in crimen omnium graviſſimum vocari (v. 28. ſ.) potuiſſent, qui miraculorum Jeſu divinæ origini diffiderent ipſi, ſuamque diffidentiam cum aliis communicando (v. 22. 30. Matth. XII. 24), argumenti per ſe incerti vim atque efficaciam apud alios (v. 23) infringere conarentur?

VIII. 35. Generalis sententia, quod perpetua mansio in familia non servorum, sed filiorum [142] fit, ad Judæos (v. 31) revocata, *primo* sumit, hos homines tanquam posteros Abrahæ (v. 37. coll. 41. Rom. IX. 7. f.), quem honorem modo (Jo. VIII. 33) jactaverant, imo tanquam discipulos (v. 30. f. coll. I. 12) filii Dei, adscriptos videri divinæ familiæ (οικια). *Deinde* ponitur, eosdem Christi auditores, quia vitiis indulgeant, liberos atque *ingenuos* non esse (VIII. 34), ideoque [143] sola opinione (v. 41), non (v. 42) *ad veritatem* (οντως v. 36) liberos atque *filios* (υιος v. 35) Dei esse; quamvis Abrahæ filii usurpentur (v. 33. 39.), *nomina* tantum esse filiorum Abrahæ (v. 37), non (v. 39. Rom. IX. 6—8) *veros* & germanos filios; quamvis *audiant* discipuli Jesu (Jo. VIII. 30), *re* tamen *vera* (αληθως v. 31) haud esse discipulos. Ex quibus *tandem* efficitur, homines istos, nisi liberentur a Filio (v. 36), non mansuros esse in familia Dei, nec eo perventuros esse, quo Filius proficiscatur (v. 21), ejusdemqe veris discipulis (v. 51. coll. v. 31. not. 144.) aditus pateat (v. 51. XII. 26. XVII. 24), & Abrahamus quoque pervenerit (VIII. 56. coll.

---

142) O υιος non *Christum* (v. 36) significare, sed. instar disjuncti ο δουλος, *universe* accipi, & *quemvis filium* (cf. Jac. V. 6. 1 Tim. V. 14. Notit. hist. epp. ad Cor. not. 35) dicere videtur.

143) O υιος est contrarium τε δουλε (v. 35. Gal. IV. 7. 1.). Unde *filii* (Jo. VIII. 35. hoc sensu *liberi*) mox v. 36. οντως ΕΛΕΥΘΕΡΟΙ (hoc sensu *liberi*) dicuntur.

coll. 51—53. & perill. *Michaelis* Dogm. p. 726); quamvis nunc ceu Abrahæ posteri & discipuli Christi videantur esse filii Dei, perpetuis tamen divinæ familiæ sedibus exclusum eos iri (v. 21. 24. Luc. XIII. 26—28. Matth. VIII. 11. f. VII. 21—23). Liberat autem Filius (Jo VIII. 36) per doctrinam suam (την αληθειαν v. 32), si quis ejus observans fuerit (μεινη εν τω λογω αυτου v. 31. [144]). Qui doctrinæ Christi observantes erant, non ii continuo omnes, qui, audita doctrina, magistrum eum profitebantur (v. 30. coll. Matth. VII. 21. 26), *vere* discipuli erant (Jo. VIII. 31). Verus enim Christi discipulus est, qui [145] veram [146] ejus doctrinam cognoscit ita, ut (cf. και Marc. IX. 20) liberetur (Jo. VIII. 32) a servitute peccati (v. 34) & conjuncta (v. 21. 24. 35) miseria, non qui cognoscit & profitetur ita (v. 30), ut infelix mancipium peccati esse pergat (Matth. VII. 21. 23. 26. f.). Talem fidem, quæ doctrinæ Christi tenaces & (Jo. VIII. 51.) a pernicie, conjuncta (v. 21. 24) peccato, liberos efficeret, v. 24. flagitaverat Dominus, non qualis erat (v. 34. ss.) των πιστευ-

στευ-

144) Versiculo 51. notius τηρειν substituitur. Sed μενειν εν τινι vim eandem habet. cf. *Kypke* in v. 31. & similem formam dicendi εμμενειν τοις ορκοις και ταις συνθηκαις apud *Lysiam* (Or. gr. Vol. V. p. 719. f. ed. *Reiskii*). Adde *Josephi* & *Philonis* loca apud *Krebsium* & *Læsnerum* ad Gal. III. 10.

145) Και prius v. 32. est εξηγητικον: „re ipsa eritis discipuli mei, nempe (cf. Ebr. X. 11. k). Obss. gr. p. 241) cognoscetis &c."

146) Doctrina (ο λογος Jo. VIII. 31) Jesu appellatur η αληθεια (cf. v. 14. 16), quantumvis licet repugnaverint Pharisæi (v. 13).

στικοτων ιυδαιων (v. 30. f.). Et a principio ftatim (v. 12) Chriftus dixerat, fuos difcipulos (τον ακολυθυντα αυτω, aut, quæ verba XII. 36. 46. legimus, τον πιστευοντα εις αυτον, nimirum αληθως, cf. VIII. 30. 31), luce & cognitione *falutari* (της ζωης) gaudere, quæ non finat (cf. v. 51) in peccati & miferiæ (θανατυ v. 21. 24) tenebris verfari.

XII. 41. Pronomen αυτυ, quod in toto contextu (v. 37. 42) non alio quam ad *Jefum* fpectat [147], hoc etiam loco dubitamus aliorfum accipere five ad Deum (κυριον v. 38) trahere. Quamquam enim facile concedimus, non *Chrifti proprie*, fed *divinam univerfe* majeftatem citato (v. 40) capite Efaiæ (VI. 1—5) vifam prædicari: Joannes tamen, qui & univerfo libro (cf. über den Zwek Joh. §. 46) & hoc ipfo loco (XII. 45. cf. l. c. p. 196. 512. fs.) in *divinitate* Chrifto afferenda elaborat, propheticum locum de *majeftate divina* appofite ad magnificam, quam de Jefu Chrifto habuit & argumentis firmavit, opinionem, *in* eumdem *fuum Dominum* absque dubio transferre potuit (cf. Ebr. I. 10. c.) XII. 26. o). Deinde hoc in more pofitum eft (cf. über den Zwek Joh. p. 2) Joanni, ut orationi fuæ paffim adfpergeret, quæ de confilio libri univerfo lectores admonere poffent. Neque igitur miramur, fi noftro etiam loco animadverfioni fuæ (Jo. XII. 37—40. cf. l. c. §. 10) breviffimam, ad-

147) cf. *Vitringae* Comm. in Jefaiam P. I. p. 142.

admonitionem subjecerit (v. 41), cujus una pars revocaret memoriam consilii (cf. XI. 4), quo & miracula (XII. 37. coll. XI. 1—XII. 18. & v. 28—30) & dicta (v. 45) Jesu literis ab ipso consignata fuerint (XX. 31), altera vero moneret de prædicto Esaiæ, cujus eventus in Jesu consilium evangelistæ adjuvet (cf. l. c. §. 11). Neque enim postrema versiculi nostri verba: *και ελαλησε περι αυτου*, ad *sextum* Esaiæ caput, v. 39. f. allatum, putamus esse referenda, quo pacto otiosa fere essent, sed ad superius (v. 38) allegatum caput LIII, quo Esaias *de Christo proprie* dixit (v. Comm. in ep. ad Ebr. p. 475. ss.). Quod loci nostri *priorem* particulam ad *propiores* versiculos 39. & 40, *posteriorem* vero ad *remotius* comma 38. pertinere arbitramur, *chiasmi*, quem vocant, *inversi* pluribus exemplis defendi potest. cf. Ebr. IX. 1. g). h). & Diss. qua insigne de Christo oraculum Es. LII. 13—LIII. 12. illustratur p. 22. Etiam Matth. XIII. *primum* ea, quæ *proximus* locus (v. 43) de regni divini summo pretio, luculentissime tandem manifestando, omnemque operam *των δικαιων*, quorum res in hac terra non meliore loco esse videbantur (v. 28—30), quam res ceterorum (v. 41), sua excellentia abunde compensaturo, attigerat, duabus parabolis (v. 44—46. cf. Diss. de parabolis Christi not. 56) illuminantur, *tum demum* ea, quæ *superioribus* versiculis 40—42. de funestissimo malorum, bonis aliquamdiu intermixtorum, parique cum his conditione uti visorum, exitu præcepta fuerant, alia parabola (v. 47—50) Dominus exequitur.

XIV. 26.

XIV. 26. XVII. 11. f. Quam vim formulæ εν τω ονοματι, five εις το ονομα (Matth. XVIII. 20), alias (Joh. XIV. 13. f. XV. 16. XVI. 23. f. 26) tribuimus (v. ad Jac. V. 14. not. 213), eadem his quoque locis teneri poteſt haſtenus, ut græca verba idem valeant, ac latina: *in honorem* (v. etiam ad Col. III. 17. not. 46). Nam divini ſpiritus præſidium apoſtolis vere datum eſt *ad honorem* Jeſu (Jo. XIV. 26), quem & ſententia doctrinæ apoſtolicæ (XVI. 8—11. 14. XVII. 1. 3. cf. über den Zwek Joh. p. 462), & hoc quoque ipſum adjuvabat, quod *impletum* eſſet promiſſum Chriſti, idemque majeſtatis, *revera ab ipſo aditæ*, indicium & argumentum (XVI. 7. cf. VII. 39). Altero loco (c. XVII) Jeſus tum profitetur (v. 12), ſe apoſtolos præter unum omnes adhuc ſervaſſe *in honorem* patris (v. 4. 6), tum rogat patrem (v. 11) pro ſalute [148] eorum *in honorem* patris (XIV. 14. XV. 8. XVII. 1. 3. cf. l. c. 462. f.). Quamquam nec repugnamus, ſi quis illud τηρειν εν τω ονοματι σου malit in hanc partem interpretari, ut apoſtoli dicantur ſervandi vel ſervati eſſe *patri*, ut eos *patris* eſſe gaudeat Chriſtus & poſthac *ejusdem* manere velit (v. 6. 9. f.). Quo pacto εν τω ονοματι σου poſitum erit pro εν σοι (cf. XV. 21. Matth. X. 22. Luc. XXI. 17. 12. cum VI. 22. Matth. V. 11. X. 18. Marc. XIII. 9), hocque pro σοι, quemadmodum 2 Cor. VIII. 1. (cf. Comm. in ep. ad Ebr. p. 507) & Act. IV. 12. participio διδομενος ſubjectus dativus per εν effertur. Loca *Joannis* ſimilia dabit Progr. in 1 Tim. III. 16. z). Act.

148) cf. disjunctum απωλετο v. 12. itemque verſiculum 11. extremum cf. cum v. 21—23. (über den Zwek Joh. p. 438. f.).

## Act. III. 16.

Cum tertiæ perſonæ pronomina & verba in eodem contextu ad *diverſa* ſubjecta redire poſſint [149], ipſoque etiam noſtro loco pronomen *αυτω* non eodem, quo *αυτου*, ſed ad claudum ſanatum (*τουτον ον θεωρειτε*) ſpectet: minime profecto neceſſe eſt, *το ονομα αυτου* ad Chriſtum referri, quo verba *του ονοματος αυτου* & *δι' αυτου* pertinent. *Deo* certe, qui Jeſum reſtituerit in vitam (v. 15), etiam v. 13. miraculum patratum (v. 12) tribuebatur (cf. IV. 30). Sed Deus claudum, quem cernebant & noverant, roboraverat ea lege et via, ut *Jeſus*, de quo pariter ante (III. 13—15) ſermo fuerat, honoraretur (cf. *εδοξασε* v. 13), h. e. *ſub conditione* (cf. *επι* Phil. III. 9) *fiduciæ* [150] *Jeſu*; nam (*και*, cf. Ebr. V. 3. d) claudo, omnibus

149) v. XII. 8. ſ. Obſſ. gr. p. 402. & *Raphelii* Annott. ex *Xenoph.* ad Luc. IX. 39. ex *Herodoto* ad Marc. IX. 18.

150) Si *conſilium* ſanationis cum interpretibus, a *Lindhammero* ſignificatis, intelligere malis (cf. *επι* Eph. II. 10. 1 Theſſ. IV. 7); non illud dicitur, apoſtolos (Act. III. 4) tanto miraculo perpetrando futuros fuiſſe impares (v. 12), niſi ſpem in Jeſu collocaſſent; ſed hoc potius ſibi voluit Petrus, claudum a Deo roboratum fuiſſe *hoc conſilio, ut fiducia Jeſu* apud eos produceretur, quibus miraculum innoteſceret, ipſam enim curationis hiſtoriam docere, quod fiducia, ab apoſtolis *in Jeſum* poſita, integritatem claudo attulerit. Atqui nec confidere potuiſſent apoſtoli virtute (v. 6. coll. IV. 7. 9. ſ.) Jeſu, niſi de hominis tantopere contemti (v. 10. 11. III. 13. ſ.) gratia apud Deum (v. 13) & vita (v. 15) certiſſimi facti, teſteſque (v. 15. extr.) locupletes fuiſſent, nec ſpei, quæ *in Jeſu* fuerat (v. 6), re-

bus conſpicuam (Act. III. 9. ſ.), integritatem valetudinis manifeſto (v. 6) *ipſa fiducia Jeſu* [151] (cf. IV. 9. ſ. 30. extr.) conciliaverat. Miraculi patrationem *fiducia Jeſu* adſtrictam fuiſſe, illiusque conſilium ad honorem *Jeſu* ſpectaſſe, ex ipſa hiſtoria curationis (III. 6) probatur.

V. 12—15. Parentheſis, quam interpretes h. l. ſumere ſolent, minus dura videbitur, ſi conferas vocabula: *οπως* (Gen. XXXVII. 22) &: *τȣ ποιησαι* (Ebr. X. 7), a verbis: *ειπεν* & *ηκω*, unde pendent, disjuncta item, ut noſtrum *ωςε* Act. V. 15. & verbum *εγενετο* v. 12. diſtrahuntur. Adde Obſſ. p. 398. ſ. & b. *Bengelii* Gnom. ad Marc. VII. 1.

V. 20. Etſi non negamus, *τα ρηματα της ζωης ταυτης* ſimiliter, atque *τον λογον της σωτηριας ταυτης* (XIII. 26), verti poſſe (Obſſ. p. 234. ſ.) ſic, ut ſi ſcriptum eſſet: *τα ρηματα ταυτα* (cf. XIII. 42) *της ζωης*, doctrinam *hanc* ſalutarem, aut, ſi ma-

reſpondere potuiſſet exitus (v. 7—10), niſi magnificam apoſtolorum de Jeſu opinionem (v. 13—15) ejusque fiduciam (v. 6) approbare Deus & aliis quoque perſuadere voluiſſet. Ex hoc ipſo (IV. 7—10) ſpecimine efficacitatis fiduciæ, in Jeſu poſitæ, etiam IV. 11. 12. efficitur univerſe, in eodem Jeſu ſpem unicam hominum ſitam atque reponendam eſſe. cf. Diſſ. de ſenſu hiſtorico p. 14.

151) Sumſimus, *την πιστιν την* Δι' *αυτȣ* idem (cf. Notit. hiſt. epp. ad Cor. int. ſervientes not. 118) valere, quod *η* ΕΝ *αυτῳ* (Col. I. 4) ſonaret. Quod ſi vero uſitatam vim præpoſitionis *δια* retinere malis: fiducia Dei, quæ *per* Jeſum extiterit, ſive ſpes apoſtolorum, quæ eſſet in Deo, ſed *Jeſu* niteretur (cf. 1 Petr. I. 21), intelligi debet.

malis, res *has* salutares; nescimus tamen, an præferenda sit hæc versio: doctrinam de (cf. Prol. in ep. ad Ebr. p. XXXVIII) *hac vita*, aut, si malis, res (cf. V. 32) *hujus vitæ*, ea, quæ spectant ad hanc, de qua inter vos & vestros adversarios (v. 17) disceptatur, vitam, itaque (IV. 1. s.) ad *vitam Jesu*. De *hac ipsa* certe apostoli, e custodia educti, in templo præceperunt populo (v. 28. 30—32).

XVII. 28. Tria omnino, quæ beneficio divino habemus, gradatim & sic proponuntur, ut a perfectiore incipiens in minus perfecto terminetur oratio. Illud autem *Limborchio*, cujus verba (Comm. in Act. & epp. ad Rom. & Hebr. p. 168) mutuati sumus, assentiri non possumus, quod *vita* l. n. *rationem*, hominis prærogativam, significet, quæ vis ne inesse quidem videtur in verbo ζην; sed Paullum hoc potius dixisse arbitramur: „per Deum vivimus *beate ac hilare* (cf. 1 Thess. III. 8. & *Kypke* T. I. p. 270), per ipsum movemus nos, ac sumus. Ipsius beneficio non solum omnia, quæ ad vitam feliciter agendam pertinent (cf. τα παντα Act. XVII. 25. & 1 Tim. VI. 17. Act. XIV. 17), sed hoc etiam debemus, quod nostræ vires, quarum usu ad felicitatem ipsi aliquid conferimus, durant neque exspirant (cf. πνοην XVII. 25), imo quod ad vitam pervenimus (cf. ζωην l. c.). Verissima Dei prædicatio est, nos, quod beate vivamus, quod moveamus nos, quod simus, id omne ab ipso habere."

Index

# INDEX
## locorum obiter illuſtratorum.

---

*Errata.*

p. 6. l. 6. a fin. lege: cognAtionis.
p. 14. l. 11. a fin. lege: locO.
p. 29. l. 9. lege: ep. pro epp.
p. 50. l. 2. lege: immuNdia.
p. 60. l. 1. lege 10. pro 23.
p. 70. not. 126. l. 6. lege maliT pro malis.

